


PHILOBIBLON

RICHARD OF BURY


1599



PURCHASED  
FROM THE INCOME  
OF THE FUND GIVEN TO  
THE PUBLIC LIBRARY OF  
THE CITY OF BOSTON BY  
JOSIAH HENRY BENTON  
1843-1917

E. L. DODD, DEL. 1859

A. J. DOWNEY, SCAP.









PHILOBIBLON

# RICHARDI DVNELMENSIS

*sive*  
DE AMORE LIBRORVM, ET INSTI-  
TUTI<sup>E</sup> TIONE BIBLIOTHECÆ,  
*tractatus pulcherrimus.*

Ex collatione cum varijs manuscriptis edi-  
tio jam secunda;


cui

*Accessit appendix de manuscriptis Oxoniensibus.*

Omnia hæc,  
Opera & studio T. I. Novi Coll. in alma Academia  
Oxonensi Socij.

B. P. N.

Non quæro quod mihi utile est, sed quod multis.



Oxonie,  
Excudebat Iosephus Barnesius. 1599.

XG

.389A

.362

DIGESTARI  
DIMENTINISI

ЛІТІВІ ТЕМПРОЛІ ВОНАЛО  
ДІСІТОВА АНДІЧІ  
ДІСІТОВА АНДІЧІ


ІІІ

Frederick W. Barton Jr.

Dec. 31, 1940

601 1940

БІЛІВІКІ СІДІВІ БІЛІВІКІ БІЛІВІКІ



ГІЛІВІКІ БІЛІВІКІ БІЛІВІКІ БІЛІВІКІ

CLARISSIMO ET LITERARVM AC  
literatorum amantissimo viro THOMÆ BOD-  
LÆO, T. I. fœlicitatem tam in hoc secu-  
lo quam in futuro, humili me præcatur.



Cœ in se sua per vestigia volvuntur annus,  
nec dum finitus meus libellus, Philo-  
biblō nostrum nondum exit ex prælo,  
vel prælio potius (ut sic dicam) Ty-  
pographi; quem librum ut vidi, ut a-  
mavi! Nam cum viderem Ricardum  
hunc nostrum, in membranis inter  
blattas & tineas semivivū, semiesum,  
pallentem expiranteq; non potui  
continere me quin servarem (si fieri posset) à morte, tantum  
ac talem virum. Itaq; statim cœpi consilium de describendo,  
in qua cogitatione, dici non potest, quam nulli mihi neq; ca-  
lamii neq; chartæ satisfacerent: sed vt cunq; descripsi, descrip-  
tum illicò mandavi Typographo, cum precibus vt impre-  
retur: ille (quà sunt omnes illius professionis) recusare ac ne-  
gare, dicens se non posse hoc facere sine magno incommodo  
suo: ego continuo vrgere, ac docere non esse tanti hunc li-  
brum, vt in eo vno positæ essent fortunæ Typographicæ,  
nec librum sed libellum esse, quantitate parvum, valore max-  
imum; postremo orare & coniurare cum per amorem quem  
erga libros gerit quà Typographus, per commodum deniq; &  
compendium suū quà bibliopola, vt hoc Philobiblon & Tra-  
etatum de amore librorum, communicaret liberaliter per operas  
suas Typographicas cum omnibus egentibus. Quid multa?  
dixi, feci omnia quæ potui, atq; tandem satisfeci Typogra-  
pho; tradit is librum suis, tum postquam diligenter laboratū  
eslet à Compositoribus, nec minus sudatum à Torcularibus,  
brevi absolutum est opus illorum, sed labor meus adhuc finē  
non invenit. Nam tum primum irrepit cogitatio de limando  
& poliendo Catalogo librorum manuscriptorum in illustrissimis  
bibliothecis celeberrime Academia Oxon: quem biennio abhinc,  
non sine magno sudore & aliquo profecto pulvere (vt res tū

# Epistola

ferebant) consarcinaveram; sed neq; successit hac via, alia aggrediendum erat. Etenim in primo limine & initio quasi opellæ meæ in rus eundum erat mihi necessario, tamen ut animalium operis prius Typographicis lassatum reficerem, quam ut curarem valetudinem & negotia mea.

In absentia mea (ita principium vnius laboris gradus est futuri) mater mea *Academia* de me uno ex filijs suis inimobus sollicita, ne torperent mihi manus ignavia, cui morbo fortasse proniorem me animadverterat: aut vacaret animus à studijs, quo tum nos magna (ut vocatur) *vacatio* invitabat, injunxit mihi opus plenum labore, molestia & angore plenum, quod tamen rebar me potuisse facillime intra vnius mensis curriculum absolvere: sed labitur unus & alter mensis, & post illos ferè decem præterierunt, nec adhuc licet cum Poeta exclaimare, *Iamq; opus exegi*. Nam (ut quod verum est fatear) bona pars operis inchoati post tot labores & septimanas restat imperfetta, brevi, (si Deus mihi vitam cum salute dederit) finienda. Hinc est quod neq; librum tum excusum cum velle, neque iam prout velle, & animus est, coactus, sim ad importunitatem Typographi solū edere, & seorsim, sine promisso & expectato tā diu Catalogo; solū, sed nō sine mendis, nā id fieri nō potest, quis enim est tā *Lynceus* in reb⁹ vel suis vel alienis ut omnia videat, nusquam cespitet. Ego (quod ad me attinet) homo sum, errare possum, idq; faciliter in hoc generere; hoc ego facile fateor & patior, fatetur hoc etiam longe omnium Correctorū perspicacissim⁹ Angelus Rocha, nec si fuisset Angelus de Cœlo potuit quicquā verius dixisse.

Sed ne epistola in librum degeneret, qui error frequens est in his diebus, contrahā omnia in breve, & dū rogo lectorē ut Typographo donet errores & errata, condonet in Auctore primum barbarismos ac solacisinos in scriptis, & tum demum declinationes ac deviationes parvas (ut sic dicam) in fide & religione (quaerat tamen duo vitia fuerunt illius seculi:) rogādus tu mihi quoq; es, vir doctissime simul ac generofissime, ut Episcopum hunc nostrum protegas, defendas, & (si opus fuerit, & requirat) porrigas illi (ut sic dixerim) brachium secu-

## Dedicatoria.

seculare ; sin minus saltem dextram amicitiae ; sicut fecerunt  
olim *Paulus & Barnabas*. Nam si amicus sit alter idem (vt ha-  
bet Cicero) & morum similitudo amorem conciliat, quanta  
est in vtroq; vestrum (Deus bone) morum similitudo? quan-  
ta virtutum identitas & parilitas? agere dum , non potestis  
non esse amicissimi. Vulgo dicitur ex *Euclide*; *qua conveniunt*  
*in aliquo tertio ea sunt inter se parsæ*: convenit tibi, vir ornatissi-  
me, cum illo in multis, & ne multa, hinc est quod egote pare  
illi, vel potius alterum cundem constituam, & quid ni hoc face-  
rem? Vterq; enim ex optima familia natus, hic educatus &  
alumnus fuit huius tam celebris Academie, & postquam de-  
bitam operam vestram persolvissetis Academiam. Matri com-  
muni; benedictione captata emissi fueratis ex Oxonia tan-  
quam ex Equo Troiano, in Reimp. in qua brevi sic profecera-  
tis, vt illum Regis *Edwardi* favor ad locum & honorē in Rep.  
summum evehereret ; te serenissimæ Principis & Reginæ *Eli-  
zabethæ* amor iudiciūq;, ad singularem apud se gratiæ gradū  
admisit. Sed qui fines Regno huic positi sunt, non conti-  
nent laudes vestras, Angliam transvolant & demigrant ad  
exteræ nationes, ad quas missi sœpe cum mandatis, & functi  
estis legationibus varijs summa cum laude & honore. Sed ne-  
que in tantis honoribus quisquam vestrum vel immemor fu-  
it matris Academiam, vel oblitus eorum quæ Dominus grati-  
osè fecit sibi. Itaq; de retributione cum *Davide* sollicitus &  
hic, & tu . *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ fecit mihi?*  
Vox est Psalmista, vox Episcopi, vox tua . Hinc est, quod  
ille Bibliothecam (sicut constat evidenter ex hoc libro ) in-  
struetissimam omni genere librorum pararit, in gratiam suo-  
rum : & hinc est etiam quod tu βιβλιοφυλάκιον nostrum, libris  
olim refertissimum, sed iniuria hominum vel temporum pro-  
pe destructum, nobis iterum restituas & adornes tuis magnis  
præsentibus impensis, & ( vti quidem audio ) futuris mul-  
to maioribus.


Quæ cum ita sint, non potui sane considerans amo-  
rem quem erga libros & literatos geris, & benevolentia-  
m qua hanc Academiam prosequeris, quin nomine & vi-

## Epistola Dedicatoria.

ce quasi totius Vniversitatis, gratularer tibi hoc tam pium o-  
pus tuum, & testarer præstaremq; si nihil aliud in hoc libello,  
saltem ardenter amorem nostrum coniunctum cum eterno  
honore tuo, & illorū omnium, qui tibi operā navarunt in hoc  
tam pio proposito tuo; quos ego intelligo esse multos nobi-  
lissimos præclarissimosque viros quorum alij ducentos, alij  
plures libros obtulerūt gratis & spōtē; sicut inter Iudeos olim  
ædificationi Templi, alij aurum, alij argentum, aliud alij de-  
derunt: quibus omnibus, & tibi præsertim inter omnes,  
ut & viventibus benè sit & post mortem locum habeatis in  
Cœlo, inter illos viros glriosos & parentes nostros in generatione  
sua, qui in terris fuerunt homines misericordia & pietatis; Deum  
interpellare non desinimus. Vale, Ex Museo meo in  
Collegio Novo. Iulij. 6. 1599.

Tibi semper addictissima,

THOMAS JAMES.



# Vita ex Balæo.

**R**icardus Aungerville, patria Sudovolgius, ab urbe natali ad Edmundi sanum, Buriensis dictus, Edwardsi Anglorum Regis olim Cancellarius, & Episcopus Dunelmensis, summa auctoritate præcellebat: Dederat hic teste Io. Resso Warwicensi, Oxonijs operā & Philosophia & Theologia: magnusq; post longos studiorum labores in utraq; doctrina evaserat. Literarum ac Literaturum postea fautor erat atque sua maximus: non secus atq; olim sub Augusto Cesare Mecanas ille Heistruscus, scientijs tam divinis quam humanis, ut dictum est, & ipse eruditus. Ad Fr. Petraracham, & alios ea tempestate doctissimos viros, plures dedit epistolæ totidemq; recepit. Et post institutam Oxonijs Bibliothecam existimam, quam publico illic studiorum hominum commodo vir probus exererat, de librorum amore atq; utilitate tractatum per pulchrum eadis, quem Graco vocabulo prænotavit,

Philobiblo, Lib 1. Thesaurus disiderabilis sapientię.

Epistolas familiares, Li. 1. Ricardus miseratione divina.

Orationes ad Principes, Lib. 1.

Et alia scripsit. In primi operis prefatione, confitetur se ecclastico quodam librorum amore potenter arreptum. Quod opus Aukelandie in habitacione sua complevit, 24. die Ianuarij, anno à communis Salutis origine A. 1344, etatis sua 58, & 11. sui Pontificatus.

Ex accō.  
modato  
T. A. ex  
Aula Glo-  
cestrensi.

Vita ex libro quodā verusto de Antiquit: Dunelmensisibus. Pater illius fuit Ric. Angerville miles, fuit etiam instrutor Edwardsi tertij, fuit primo coferarius Regis, deinde Thesaurarius de Waveroba, postea Clericus privati sigilli per quinq; annos: quo tempore bis adiit summum Pontificem Ioannem: ita promotus fuit ad beneficia Ecclesiastica ut posset expendere ad valorem 5000. Marcarum: factus fuit postea Episcopus Dunelmensis, tum Thesaurarius Anglia, fuit installatus Episc. Dunelmie A. 1334. in præsentia Regis Edwardsi, & Regine & Edwardi Regis Scotie. 2. Archiepiscoporum & 5. Episcoporum, & 7. Comitum cum uxoribus suis, & omnium Magnatum citra Trentam: fuit postea Cancellarius Anglia. Dictum erat de eo quod plures libros haberet quam omnes Episcopi Angliae. Obiit Aukelandie A. 1345. 14. Aprilis.





## PRÆFATIO AVCTORIS AD LECTOREM.

**V**NIVERSIS Christi fidelibus, ad quos tenor præsentis scripturæ peruenierit, Ric: de Bury miseratio-ne divina Dunelmensis Episcopus sa-lutem in Domino sempiternam, piamente ipsius representare me-moriā iugiter coram Deo, in vita pariter, & post fata. Quid retribu-am Domino , pro omnibus quæ retribuit mihi , deuo-tissimus inuestigat Psalmista, Rex inunctus & eximius Prophetarum : in qua quæstione gratissima , semetip-sum redditorem voluntarium , debitorem multifari-um, & sanctiorem optantem consiliarium recognos-cit ; concordans cum Aristotele Philosophorum Prin-cipe , ad omnem de agilibus quæstionem consilium probat esse , sexto & tertio Ethicorum . Sanè , si Pro-pheta tam mirabilis futurus, præscius diuinorum, præ-consulere volebat tam sollicitè , quomodo gratè posset grata gratis refundere , quid nos rudes regratiatores , & audiissimi receptores, onusti diuinis beneficijs infini-tis poterimus dignè velle ? Proculdubio deliberatione solerti , & circumspectione multiplici , invitato pri-mitus Spiritu septiformi , quatenus in nostra medita-

tione ignis illuminans exardescat, viam non redibilem providere debemus attentiūs, quò largitor omnium de collatis muneribus suis, sponte veneretur reciprocè, proximus relevetur ab onere, & reatus contractus per peccantes quotidiè, eleemosynarum remedijs redimatur. Huius igitur devotionis monitione præventi, ab eo qui solus bonam hominis & prævenit voluntatem, & perficit; sine quo nec sufficientia suppetit cogitandi solummodo, cuius quicquid boni fecerimus, non ambigimus esse munus: diligenter tam penes nos, quam cum alijs, inquirendo discussimus, quid inter diuersorum generum Pietatis officia, primo gradu placeret Altissimo, prodessetque potius Ecclesiæ Militanti. Et eccè, nostræ cogitationis aspectibus grex occurrit Scolarium elegorum, quin potius electorum, in quibus Deus artifex, & ancilla Natura, morum optimorum, & scientiarum celebrium plantaverunt radices: sed ita rei familiaris oppressit penuria, quod obstante fortuna contraria, semina fæcunda virtutum in inculto iuuentutis agro, rosis debiti non rigata favore, arescere compelluntur. Quibus fit ut lateat in obscuris condita virtus clara (ut verbis alludamus Boetij) & ardentes lucernæ non ponantur sub modio, sed pro defectu olei penitus extinguantur. Sic ager in vere floriger, antè messem exaruit; sic frumenta in lolium, & vites degenerant in labruscas; ac sic in oleastros olivæ sylvescunt, marcescunt omnino tenellæ trabeculæ, & qui in fortes columnas Ecclesiæ poterant excrevisse, subtilis ingenij capacitate dota ti, studiorum Gymnasia derelinquent; sola inedia novocante, refelluntur à Philosophiæ Nectareo poculo violenter, quam primò gustauerant, ipso gustu fer-  
ven-

ventius sitibundi Liberalibus Artibus habiles, & Scripturis tantum dispositi contemplandis ; orbati necessariorum subsidijs , quasi quadam Apostasiæ specie , ad artes Mechanicas , ( propter victus solius suffragia) ad Ecclesiæ dispendium , & totius Cleri vilipendium, revertuntur . Sic Mater Ecclesia pariendo Filios, abortiri compellitur : quinimò , ab utero foetus informis mortuosè disruptur , & pro paucis minimisq; quibus contentatur Natura , alumnos amittit egregios , postea promouendos , & Pugiles Fidei, & Athletas . Heù quām repente tela succiditur , dum texentis manus orditur . Heu quod Sol eclipsatur in aura clarissima , & Planeta progrediens regiratur retrogradè , ac naturam & speciem veræ stellæ pretendens , subito decidens fit assub . Quid poterit pius homo intueri miserius ? quid misericordiæ viscera penetrabit acutius ? quid cor congelatum ut incus , in calentes guttas resoluet facilius ? Amplius , arguentes à sensu contrario , quantum profuit toti Reip. Christianæ , Non quidem Sardanapali delicijs , neq; Cræsi divitijs enervare studentes : sed melius , mediocritate scholastica suffragari pauperibus , ex eventu præteriorum recordemur . Quot oculis vidi mus , quot ex scripturis collegimus , nulla ex suorum natalium claritate fulgentes , nullius hæreditatis successione gaudentes ; sed tantum proborum virorum pietate suffultos , Apostolicas cathedras meruisse ? subiectis fidelibus præfuisse probissimè ? superborum & sublimium colla , iugo ecclesiastico subiecisse ? & procurasse propensiùs Ecclesiæ libertatem ? Quamobrem , perlustratis humanis egestatibus usq; quaq; , charitatiæ considerationis intuitu : huic tandem calamitoso generi hominum : in quibus tamen tanta redolet spes

## PRÆFATIO

profectus Ecclesiæ, præelegit peculiariter nostrę compassionis affectio, pium ferie præsidium, & eisdem non solum de necessarijs victui; verum multò magis de *Libris* utilissimo studio providere. Ad hunc affectum acceptissimum coram Deo, nostra iam absolui vigilavit intentio indefessa: hic amor extaticus tam potenter nos rapuit, vt terrenis alijs abdicatis ab animo, *acquirendorum librorum solummodo flagraremus affectu.* Ut igitur nostri finis intentio, tam posteris pateat quam modernis, & ora peruersa loquentium (quantum ad nos pertinet) obstruamus perpetuò; parvulum Tractatum edidimus stilo quidem leuissimo modernorum. (Est enim ridiculosum Rheticis quando, leuis materia describitur stilo) qui Tractatus amorem quem ad Libros habuimus, ab excessu purgabit, devotionis intentæ propositum propalabit; & circumstantias facti nostri, per viginti divisus Capitula, luce clarius enarrabit. Quia verò de Librorū amore principaliter differit, placuit nobis, more veterum *Latinorum*, ipsum *Graco* vocabulo *Philobiblon*, amabiliter nuncupare.

## CAPITVL A



CAPITVLA LIBRI  
SEQVENTIS.

5

1. **Q**VOD *The saurus Sapientie potissimum sit in Libris.*
2. *Qualis amor Libris rationabiliter debeat.*
3. *Qualiter in Libris emendis sit pretium estimandum.*
4. *Querimonia Librorum contra Clericos iam promotos.*
5. *Querimonia Librorum contra Religiosos possessionatos.*
6. *Querimonia Librorum contra Religiosos mendicantes.*
7. *Querimonia Librorum contra bella.*
8. *De multiplici opportunitate quam habuimus Librorum copiam conquirendi.*
9. *Quod licet opera veterum amplius amaremus, non tamen damnamus studia Modernorum.*
10. *De successiva perfectione Librorum.*
11. *Quare Libros Liberalium Artium prætulimus lib. Iuris.*
12. *Quare lib. Grammaticales tanta diligentia curavimus renovare.*
13. *Quare omnino non neglexerimus Fabulas Poetarum.*
14. *Qui deberent esse Librorum potissimum dilectores.*
15. *Quot commoda confert amor Librorum.*
16. *Quam sit meritorium Libros novos scribere & veteres renovare.*
17. *De debita honestate circa Lib. Custodiam adhibendam.*
18. *Quod tantam Lib. collegimus copiam ad communem profectum Scholarium, & non solum ad propriam voluntatem.*
19. *De modo communicandi studentibus libros nostros.*
20. *Exhortatio scholarium ad repondendum pro nobis suffragia debitæ pictatis.*


A iij.

QVOD

LAURENTIUS

ESTIVUS

1800. 1801. 1802. 1803. 1804. 1805. 1806. 1807. 1808. 1809. 1810. 1811. 1812. 1813. 1814. 1815. 1816. 1817. 1818. 1819. 1820. 1821. 1822. 1823. 1824. 1825. 1826. 1827. 1828. 1829. 1830. 1831. 1832. 1833. 1834. 1835. 1836. 1837. 1838. 1839. 1840. 1841. 1842. 1843. 1844. 1845. 1846. 1847. 1848. 1849. 1850. 1851. 1852. 1853. 1854. 1855. 1856. 1857. 1858. 1859. 1860. 1861. 1862. 1863. 1864. 1865. 1866. 1867. 1868. 1869. 1870. 1871. 1872. 1873. 1874. 1875. 1876. 1877. 1878. 1879. 1880. 1881. 1882. 1883. 1884. 1885. 1886. 1887. 1888. 1889. 1890. 1891. 1892. 1893. 1894. 1895. 1896. 1897. 1898. 1899. 1900.



# QVOD THESAVRVS SAPIENTIÆ POTISSI- MVM SIT IN LIBRIS.

## CHAP. I.

HESAVRVS desiderabilis Sapientiæ & Scientiæ, quem omnes homines per instinctum Naturæ scire desiderant, cunctas mundi transcendit divitias infinitè; cuius respectu Lapidès pretiosi vilescunt, cuius comparatione argentum lutescit, & aurum obryzum exigua fit arena; cuius splendore tenebrescunt visui Sol & Luna, cuius dulcore mirabili amarescunt gustui Mel & Manna.

O valor Sapientiæ non marcescens ex tempore, virtus vi-  
rens assidue. O munus cælesti liberalitatis divinæ, descendens  
à Patre luminum ut mentem rationalē prœvehas usq; ad cœ-  
lum. Tu es intellectus cœlestis alimonia, quam qui edunt  
adhuc esurient, quam qui bibunt adhuc sitient, & languentis  
animæ harmonia lætificans, quam qui audit nullatenus con-  
fundetur. Tu es morum moderatrix & regula, secundum  
quam operans non peccabit; per te Reges regnant, & legum  
conditores iusta decernunt, per te deposita ruditate nativa,  
climatis ingeniis atq; linguis, vitiorum sentibus coëfossis ra-  
dicitus,

dicitus, apices consequuntur honoris, fiuntq; Patres Patriæ & comites Principum, qui sine te conflascent lanceas in liones & vomeres, vel cum filio Prodigo pascerent forte Sue.

Quò lates potissime præelecte Thesaure? & ubi te reperi-ent animæ sitibundæ? In libris proculdubio posuisti Tabernaculum tuum, ubi te fundavit Altissimus, lumen luminum, liber vitæ. Ibi te omnis qui petit accipit, & qui querit inventit, & pulsantibus improbè citius aperitur. In his Cherubin alas suasextendunt; ut intellectus studentis ascendat, & à polo ad polum prospiciat, a solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari. In his incomprehensibilis ipse deus Altissimus, apprehensibiliter continetur & colitur. In his patet natura cœlestium, terrestrium, & inferiorum. In his cernuntur iura quibus omnis regitur politia, Hierarchiæ cœlestis distinguuntur officia, & Dæmonum tyrannides describuntur: quas nec Ideæ Platonis exuperant, nec \* Cratoniæ cathedra continebat.

In libris mortuos quasi vivos invenio, in libris futura proxydo, in libris res bellicæ disponuntur. De libris prodeunt iura pacis; omnia corruptiuntur & tabescunt in tempore, & *Saturnus* quos generat non cessat devorare. Omnem mundi gloriam operiret oblivio, nisi Deus Mortalibus librorum remedia providisset. *Alexander* orbis dominator, *Iulus* & *Vrbis* & *Orbis* invasor, qui & Marte, & arte, primus in unitate personæ assumpsit Imperium, fidelis *Fabricius*, & *Cato* rigidus, hodiè carvissent memoria, si librorum suffragia defuissent. Turres ad terram sunt \* deiectæ, civitates eversæ, putredine perierunt Fornices Triumphales, nec quicquam reperit Rex, vel Papa, quo perennitatis privilegium conferatur commodius, quam per libros. Reddit auctori vicissitudinē liber factus, ut quamdiu liber supererit, auctor manens, a dāratos nequeat interire, teste *Ptolomeo* in prologo *Almagesti*; \*non fuit ( inquit ) mortuus qui sciam vi-  
viscavit.

Quis igitur infinito thesauro librorum, de quo scriba doctus profert nova & vetera, per quodcunq; alterius speciei precium limitabit? veritas vincens super omnia, quæ regem, vniuersam

\* Catoniæ.

\* Diruta.

\* Non fuit  
mortuus quæ  
scientia vi-  
viscavit.

vinum, & mulierem \*superare dicitur: quam amicis præhō- \* Supergrē-  
norare officium obtinet sanctitatis; quæ est & via sive dævio, ditur.  
& vita siue termino, cui sacer *Boetius* attribuit triplex esse; in  
mente, scripto, & voce, in libris videtur manere utilius, &  
fructificare foecundius ad profectum. Nam virtus vocis pe-  
rit cum sonitu, veritas mente latens, est sapientia abscon-  
dita, & thesaurus invisus: veritas vero quæ lucet in libris,  
omni se disciplinabili sensui manifestare desiderat: visui dum  
legitur, auditui dum auditur; amplius & tactui se commen-  
dat quodammodo, dum transcribi se sustinet, colligari, cor-  
rigi, & servari. Veritas mentis clausa, licet sit possessio no-  
bilis animi, quia tamen caret socio, non constat esse iucunda,  
de qua nec visus iudicat, nec auditus. Veritas vero vocis, soli  
patet auditui, visum latens, qui plures nobis rerum differen-  
tias monstrat, affixaq; subtilissimo motui incipit & desinit  
quasi similiter: sed veritas scripta libri non successiva sed per  
manens, palam se præbet aspectui, & per sphærulas pervias  
oculorum, \* vestibula sensus communis, & imaginationis a- \* Vestigia  
tria transiens, thalamum intellectus ingreditur, in cubili me-  
moria se recondens, vbi æternam mentis congenerat veri-  
tatem.

Postremò pensandum quanta doctrinæ commoditas sit in  
libris, quam facilis, quam arcana, quam tuto libris, huma-  
næ ignorantiae paupertatem, sine verecundia deundamus. Hii libri sunt magistri, qui nos instruunt sine virgis & cholera,  
sine pannis & pecunia: si accedis non dormiunt, si inqui-  
rens interrogas, non abscondunt, non remurmurant si ob-  
berres, cachinnos nesciunt si ignorent.

O libri soli liberales & liberi, qui omni petenti tribuitis &  
omnes manumittitis, vobis sedulo servientes. Quot rerum  
millibus typice viris doctis recommendamini, in scriptura no-  
bis divinitus in spirata. Vos enim estis profundissimæ Sophię  
fædinæ, ad quas Sapiens filium suum mittit, ut inde thesau-  
ros effodiat *Proverb.* 2. Vos putei aquarum viventium, quos  
pater Abraham primo fodit, *Isaac* eruderavit, quosq; nituntur  
obstruere *Palestini Gen.* 26. Vos estis revera spicæ gratissime,  
plenæ granis, solis Apostolicis manibus confricandæ, ut egre-

diatur cibus suavissimus famelicis animabus *Math.*, 12. Vos estis vrnæ aureæ, quibus Manna reconditur, atq; petræ mellifluæ; imo potius favi mellis, ubera uberrima lactis, vite promptuaria, semper plena. Vos lignum vitae, & quadripartitus fluvius Paradisi, quo mens humana pascitur, & aridus intellectus imbuitur & rigatur. Vos arca *Noe*, & scala *Iacob*, canalésue quibus fœtus intuentium colorantur; vos lapides Testimonii, & lagenæ servantes lampades *Gedeonis*: pera *David* de qua limpidissimi lapides extrahuntur, vt *Goliath* prosternatur. Vos estis aurea vasa Templi, arma militiae Clericorum, quibus tela nequissimi destruuntur; Olivæ fœcundæ, vineæ *Engaddi*, ficus sterilescere nescientes, lucernæ ardentes, semper in manibus prætendendæ; & optima quæq; Scripturæ libris adaptare poterimus, si loqui libeat figurate.

### *QUALIS AMOR LIBRIS RATIO nabiliter debeatur.*

#### CAP. 2.

**S**I quidlibet iuxta gradum valoris, gradum mereatur amoris, valorem vero librorum ineffabilem persuadet præcedens Capitulum: palā liquet Lectori quid sit inde probabiliter concludendū. Non enim demonstrationibus, in Morali materia utimur, recordantes quoniā disciplinati hominis est certitudinē querere sicut rei naturā perspexerit tolerare, Archiphilosopho attestante primo Ethicoru; quoniā nec *Tullius* requirit *Euclidē* nec *Euclidi* *Tullius* fidem facit: hoc revera sive Logice, sive Rhetorice suadere conamur, q; quæcūq; divitiæ, vel deliciæ, cedere debent libris in anima spirituali; vbi Spiritus qui est charitas ordinat charitatem.

Primo quidē quia in libris Sapientia continetur potissime, plus quam omnes mortales naturaliter comprehendant: Sapientia vero divitias parvipendit, (sicut Capitulum antecedens allegat.) Præterea *Aristoteles de Problem.* particula 30. *Problem. 10.* istam determinat Quæstionem: propter quid antiqui

Si qui pro Gymnasticis & corporalibus agoniis præmia statuerunt potioribus, nullum vñquam præmiū Sapientiæ decreverunt? hanc quæstionē ita solvit: In Gymnasticis exercitiis præmium est eligibilius & melius illo pro quo datur, Sapientia autem nihil melius esse potest, quamobrem Sapientiæ nō potuit præmium assignari: ergo nec divitiæ nec deliciæ sapientiam antecellunt. Rursus, amicitiam divitiis esse præponendam solus negabit insipiens (cum sapientissimus hoc testetur) amicitiæ vero veritatem Hierophilosophus prehonorat, & verus Zorobabel omnibus anteponit.

Subsunt ergo divitiæ veritati, veritatem vero & potissime tinentur & continent Sacri Libri: immo sunt veritas ipsa scripta, quoniam pro nunc, librorum afferentes librorum non afferimus esse partes. Quamobrem, divitiæ subsunt libris (præsertim cum pretiosissimum genus diuinarum omnium sunt amici (sicut secundo de consolatione testatur Boetius) quibus tam librorum veritas est per Aristotelem præferenda. Amplius, cum divitiæ ad solius corporis subsidia, primo & principialiter pertinere noscantur; virtus vero librorū sit perfectio rationis, quæ bonum humanum propriè nominatur; appareat quod libri sunt homini ratione vtenti divitiis chariores.

Præterea, illud quo fides defenderetur commodius, dilataetur diffusius, prædicaretur lucidius, diligibilius debet esse fidei: hoc autem est veritas libris inscripta, quod evidenter figuravit Salvator, quando contra Temptatorem præliatus viriliter, scuto se circunde dit veritatis, non cuiuslibet imo Scripturæ: scriptum esse præmittens, quod vivæ vocis oraculo fuerat probatus Math. 4. Rursus etiam felicitatem nemo dubitat divitiis esse præponendā: consistit autem felicitas in operatione nobilissimè & divinioris potetiè quā habemus, dū viz. intellectus vacat totaliter veritatis sapientiæ contemplandæ, quæ est delectabilissima omniū operationū secundū veritatē (sicut Princeps Philosophorū determinat 10. Ethicoru,) propter q̄ & Philosophia videtur habere admirabiles delectationes puritate, & firmitate (vt scribitur cōsequēter) contemplatio autē veritatis, nūquā est perfectior quā per libros, dum actualis Imaginatione cōtinuata per librū, actū intellectus super vias veritatis non sustinet interrupci.

Quamobrem, libri videntur esse felicitatis speculatiuæ, immediatissima instrumenta; unde *Aristoteles* Sol Philosophicæ veritatis, vbi de eligendis distribuit methodos, docet, quod philosophari est simpliciter eligibilius quam ditaris: quamvis in casu ex circumstantia puta necessarijs indigent, ditaris quam philosophari sit potius eligendum 3. *Top.* Adhuc, cum libri sint nobis magistri commodissimi (ut præcedens assumit capitulo) eisdem non immerito tam honorem quam amorem tribuere convenit magistrali.

Tandem, cum omnes homines naturales scire desiderant, ac per libros, scientiam veterum præoptandam divitiis omnibus adipisci possimus; quis homo secundum naturam viuens librorum non habeat appetitum? Quamvis enim Porcos spernere Margaritas sciamus, nihil in hoc prudentis leditur opinio, quo minus oblatas comparet Margaritas. Pretiosior est igitur cunctis opibus sapientiæ Libraria, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari *Prover.* 3. Quisquis igitur se fatetur felicitatis, sapientiæ vel scientiæ, seu etiam fidei zelatorem, librorum necesse est ut se faciat amatorem.

*QUALITER IN LIBRIS EMENDIS  
sit pretium estimandum.*

CAP. 3.

**C**Orollarium nobis gratum de predictis elicimus, paucis tamen (ut credimus) acceptandum, nullā viz. debere charitatem hominem impedire ab emptione librorum, (cum sibi suppetat quod petitur pro eisdem:) nisi ut obsistatur malitia venditoris, vel tempus emendi opportunius expectetur. Quoniam si sola Sapientia pretium facit libris, quæ est infinitus thesaurus hominibus, & si valor librorum est ineffabilis (ut præmissa supponunt) qualiter probabitur esse charum commercium, vbi bonum emitur infinitum?

Quapropter libros libenter emendos, & invitè vendendos sol hominum *Salomon* noshortatur, *Prover.* 23. Veritatem (inquit)

(inquit) eme, & noli vendere sapientiam : sed quod Rhetori-  
ce suademus vel logice, astruamius historiis rei gestæ . Archi-  
philosophus *Aristoteles*, quē *Averroes* datum putat quasi regu-  
lam in Natura, paucos libros *Speusippus*, post ipsius deceplum,  
pro 72000. l. estertiis statim emit . *Plato* prior tempore , sed  
posterior doctrinis , *Philolai* Pythagorici librum emit pro  
10000. millibus denariorū, de quo dicitur *Timai* dialogū ex-  
cerptisse ( sicut refert *Agellius Noctium Atticarum* li. 3 . ca. 16 . )  
hęc autem narrat *Agellius*, vt perpendat insipiens quam nihili  
pendant sapientes pecuniam, comperatione librorum ; & è  
contrario , vt omni superbiae stultitiam cognoscamus an-  
nexam.

Libet hic *Tarquinij Superbi* stultitiam recensere, in impen-  
sione librorum , quam refert idem *Agellius* lib. 1 . cap. 19 . *No-  
ctium Att.* Vetula quedam omnino incognita , ad *Superbum*  
*Tarquinium* Regem Romanorum 7. dicitur accessisse : ve-  
niales offerens ix libros. in quibus ( ut asservuit ) divina contine-  
bantur oracula : sed immensam pro eisdem poposcit pecuni-  
am, in tantum vt Rex diceret eam delirare . Illa commota, 3.  
libros in ignem proiecit , & pro residuis summam quam pri-  
us, exegit : Rege negante, rursus 3. alios in ignem proiecit , &  
adhuc pro 3 residuis primam summam poposcit : tandem stu-  
pefactus supra modum *Tarquinius* , summam pro 3 gaudet  
exsoluere , pro qua 9. poterat redemisse ; vetula statim dis-  
paruit, quę nec prius, nec postea visa fuit.

Hui sunt libri *Sibyllini* quos quasi quoddam divinum oracu-  
lum per aliquem de 15. viris consulebant *Romani*, & *Quindecimviratus* officium originem creditur habuisse . Quid aliud  
hęc prophetissa *Sibylla* tam vafro facto *Superbum* Regem edo-  
cuit, nisi quod vasa sapientię , sacri Libri, omnem humanam  
æstimationem excedunt , & sicut de Regno Cœlorum dicit  
*Gregorius*, tantum valet, quantum habes?

**QVERIMONIA LIBRORVM CON-**  
*tra Clericos iam promotos.*

## CAP. 4.

**P**rogenies viperarum parentes proprios perimens, atq; se-  
 men nequam ingratissimi Cuculi, qui cum vires accep-  
 tit virium largitricem nutriculam suam necat, sunt Clerici de-  
 generes erga libros.

Redite prævaricatores ad cor, & quid per libros recipitis, si-  
 deliter computate, & invenietis libros totius nobilis status  
 vestri quodammodo Creatores, sine quibus proculdubio de-  
 fecissent cæteri promotores: ad nos nempe rudes penitus &  
 inertes reptastis, vt parvuli loquebamini, vt parvuli sapieba-  
 tis, vt parvuli eiulantes implorastis participes fieri lactis no-  
 stri; nos vero protinus lachrymis vestris tacti, mammillam  
 Grammaticæ porrexiimus exugendam, quam dentibus atq;  
 lingua contrectastis assidue, donec dempta vestra barba-  
 rie, vestris linguis inciperetis magnalia Deifati: post hæc phi-  
 losophiæ vestibus valde bonis, Rhetorica & Dialectica (quas  
 apud nos habuimus & habemus) vos induimus, cum effetis  
 nudi quasi tabula depingenda. Omnes enim Philosophiæ do-  
 mestici, sunt vestiti duplicitibus, vt tegatur tam nuditas, quā ru-  
 ditas intellectus. Post hæc, vt alati more Seraphico super  
 Cherubin scanderetis, quadrivialium pennas vobis quatuor  
 adiungentes, transmisimus ad aunicum, ad cuius ostium (dum  
 tamen improbè pulsaretis) 3. panes cōmodarentur intelligentiæ  
 Trinitatis, in qua cōsistit finalis felicitas cuiuslibet viatoris.

Quod si vos hæc munera nō habere dixeritis, confidenter  
 asserimus; quod vel ea per incuriam perdidistis collata, vel in  
 principio desides respulisti oblata. Si huiusmodi videantur  
 ingratissima pusilla, adiucimus his maiora: vos estis genus electum,  
 regale sacerdotium, gens sancta & populus acquisitionis, vos  
 populus peculiaris in sortenti domini computati, vos Sacerdo-  
 tes Ministri Dei, immo vos Antonomatice ipsa Ecclesia Dei  
 dicimini, quasi Laici non sint Ecclesiastici nuncupandi vos lai.  
 cis

laicis postpositis, hymnos & Psalmos concinitis in cancellis,  
 & altari deservientes, cum altario participantes; verum confi-  
 citis Corpus Christi, in quo Deus ipse vos non solum Laicis,  
 immo paulo magis Angelis honoravit. Cui enim aliquando  
 Angelorum dixit, tu es Sacerdos in æternum secundum ordi-  
 nem Melchisedech? vos Crucifixi patrimonium dispensatis  
 pauperibus, vbi iam quæritur inter dispensatores ut fidelis  
 quis inveniatur. Vos estis Pastores gregis Dominici tam ex-  
 emplo vitae, quam verbo doctrinæ, qui vobis tenentur repen-  
 dere lac & lanam.

Qui sunt istorum omnium largitores, ô Clerici? nonne li-  
 bri? reminisci libeat, supplicamus, quot per nos Clericis  
 sint concessa privilegia libertatum egregia. Per nos siqui-  
 dem valsa sapientiæ & intellectus \* induit, cathedras scanditis \* *imbuit*.  
 magistralis, vocati ab hominibus *Rabbi*: per nos, in oculis  
 Laicorum mirabiles velut magna mudi luminaria, dignitates  
 Ecclesiæ, secundū fortis varias, possidetis. Per nos cum ad-  
 huc careatis genarum lanugine, in ætate tenera constituti,  
 tonsuram portatis in vertice prohibente statim ecclesiastica  
 sententia formidanda; Nolite tangere Christos meos, & in  
 Prophetis meis nolite malignari, & qui eos tetigerit temere,  
 violenter anathematis vulnera iectu proprio protinus fe-  
 riatur.

Tandem ætate succumbente malitiæ, figuræ Pythagoricæ  
 bivium attingentes, ramulum lœvum eligitis, & retrorsum ab-  
 euntes sortem domini præassumptam dimittitis, locii factifurum:  
 sicq; semper proficientes in peius, latrociniis, homicidiis,  
 & multigeniis impudicitiis maculati, tam fama quam con-  
 scientia tabefacta sceleribus, compellente iustitia in manicis &  
 compedibus coarctati servamini, morte turpissima puniendi;  
 tunc elongatur amicus & proximus, nec est qui doleat vicem  
 vestram, *Petrus* iurat se hominem non novisse, vulgus clamat  
 iustitiario crucifige, crucifige eum, quoniam (si hunc dimittis)  
*Cæsar*is amicus non eris. Iam periit omnis fuga (nam ante tri-  
 bunal oportet assisti) nec locus suppetit appellandi, sed  
 solum suspendium expectatur: dum sic tristitia complevit  
 cor miseri, & solæ Camœnæ lachrymæ, flentibus ora rigant-  
 fit.

fit vallatus angustiis, vndiq; memor nostri, & ut evitetur mor-  
tis propinquæ periculum, antiquatæ tonsuræ quam dedimus,  
parvum prefert signaculum, supplicans ut vocemur in medi-  
um, & collati muneris testes simus: tunc misericordia moti,  
statim occurrimus filio Prodigo, & à portis mortis servum  
eripimus fugitiuum: legendus liber porrigitur non ignotus,  
& ad modicam balbutentis præ timore lecturam, Iudicis po-  
testas dissolvitur, Accusator subtrahitur, Mors fugatur.

O carminis Empirici mira virtus? O diræ cladis Antido-  
tum salutare? O lectio pretiosa Psalterii quod meretur hoc  
ipso, *Liber Vitæ* deinceps appellari. Sustineant laici secula-  
re iudicium, ut vel insuti culeis enatent ad *Neptunum*, vel  
in terra plantati *Plutoni* fructifcent, aut *Vulcano* per incendia  
holocaustum se offerant medullatum, vel certe suspensi victi-  
ma sint *Iunoni*; dum noster alumnus ad lectionem unicam li-  
bri vitæ, Pontificis commendatur custodiæ, & rigor in favo-  
rem convertitur, ac dum forum transfertur, à librorum alumi-  
no clericō mors differtur.

Cæterum iam de clericis qui sunt vasa virtutis loquamnr.  
Quis de vobis pulpitum seu scabellum predicatorus ascenderet  
nobis penitus inconsultis? quis scholas lectorus vel disputatu-  
rus ingreditur qui nostris conatibus non fulcitur? primum  
oportet volume cum *Ezechiele* comedere, quo venter memo-  
riæ dulcescat intrinsecus, & sic more Pantheræ relectæ redi-  
leat extrinsecus conceptorum aromatum odor suavis, ad cu-  
ius anhelitum coanhelēt accedere omnes bestiæ, & iumenta:  
sic nostra natura in nostris familiaribus operante latenter, au-  
ditores occurruunt benevoli, sicut adamas trahit ferrum nequa-  
quam invite.

O virtus infinita librorum, iacent Parisis vel Athenis, Si-  
militerque resonant in Britannia & in Roma. Quiescentes  
quippe moventur, dum ipsis loca sua tenentibus auditorum  
intellectibus circumquaque feruntur. Nos deniq; Sacerdo-  
tes, Pontifices, Cardinales & Papā (ut cuncta in Hierarchia  
collocentur) in ordine literarum, scientia stabilimus. A libris  
namque sumit originem quicquid boni provenit statui Cleri-  
cali, sed hęc haec tenus (piget enim reminisci quæ dedimus  
populo

populo clericorum degeneri, quia magis videntur perdita  
quā collata, quā cūq; munera tribuuntur ingratiss.

Deinceps insisteremus parumper recitandis iniuriis quas re-  
pendunt vilipensionibus & iacturis, de quibus nec singula  
generum recitare sufficiamus, imo vix proxima genera singu-  
lorum. In primis de domiciliis clericorum nobis iure hære-  
ditario debit is, vi & armis expellimur, qui quondam in inte-  
riori cubiculo cellulas habebamus quietis. Sed (proh do-  
lor) his nefandis temporibus, penitus exulantes, improperi-  
um patimur extra portas, occupant etenim loca nostra nunc  
canes, nunc aves, nunc bestia bipedalis cuius cohabitatio cum  
clericis vetabatur antiquitus, à qua semper super aspidem &  
basiliscum, alumnos nostros docuimus fugere. Quamobrem  
istis nostris semper studiis æmula, nulla die placanda, finali-  
ter nos conspectos in angulo iam defuncto, arenæ sola tela  
protectos in rugam fronte collecta virulentis sermonibus  
detrahit & subsannat, ac nos tota domus suppellectili super-  
uacaneos hospitari demonstrat, & ad unum quodq; econo-  
mizæ servitiū conqueritur otiosos; mox in \* capitogia pretiosa,  
sindonem & sericum, & coccum bis tinetum, velles & varias  
furraturas, linum & lanam nos consulit commutandos, &  
quidem merito, ( si videret intrinseca cordis nostri, ) si nostris  
privatis interfuisset consilio, si *Theophrasti vel Valerij* perle-  
gisset volumen, vel saltem 25. cap. *Eccles.* auribus intellectus  
audisset.

*Capitegia;*

Quapropter conquerimur de hospitiis iniustè nobis ablatis  
de vestibus non quidem non datis sed de datis antiquitus  
violentis manibus laceratis. Adhæsit pavimento anima no-  
stra, conglutinatus est in terra venter noster, & gloria nostra  
in pulvorem est deducta; morbis variis laboramus, dorsa dol-  
lentes & latera, & iacemus membratim *paralysi* dissoluti, nec  
est qui recognitet, nec est yllus qui malagma procureret, can-  
dor nativus & luce perspicuus, iam in fuscum & croceum est  
conversus, ut nemo medicus dubitet *Ileritia* nos infectos:  
*Arthreticam* patiuntur nonnulli de nobis ( sicut extremitates  
retortæ evidenter insinuant ) fumus & pulvis quibus infe-  
stamur assidue, radiorum visualium aciem habeturunt,

& iam lippientibus oculis Ophthalmiam superinducunt, ven-  
tres nostri duris torsionibus viscerum, quæ vermes edaces non  
cessant corrodere consumuntur, & utriusq; Lazari sustine-  
mus putredinem, nec invenitur quisquam qui cedri resina  
nos liniat, vel qui quatriduano iam putrido clamans dicat, La-  
zare veni foras. Nullo circumligantur medicamine vulnera  
nostra sæva, quæ nobis innoxiiis inferuntur atrociter, nec est  
ullus qui super ylceræ nostra cataplasmet; sed pannos & al-  
gidi, in angulos tenebrosos abiicimus in lachrymis, vel cum  
sancto Iob in sterquilinio collocamur, vel (quod nefas videtur  
assatu) in abyssis abscondimur cloacarum; pulvinar subtrahi-  
tur evangelicis supponendum lateribus, quibus primo debe-  
rent de sortibus clericorum provenire subsidia, & sic ad nos  
suo famulatui deputandos pro semper, communis victus ne-  
cessarius derivari.

Rursus de alio genere calamitatis conquerimur, quæ perso-  
nis nostris crebrius irrogatur iniuste. Nam in seruos vendi-  
mur, & ancillas, & obfides, in tabernis absq; redemptore ia-  
cemos, Macellariis crudelibus subdimur, vbi maestri tam pe-  
cora quam iumenta sine piis lachrymis non videmus, & vbi  
millesies morimur ipso metu, qui posset cadere in constan-  
tem. Iudæis committimur, Saracenis, hæreticis & Paganis  
(quorum super omnia toxicum formidamus) per quos non-  
nullos de nostris parentibus, per venenum pestiferum constat  
esse corruptos.

Sane nos qui Architectonici reputari debemus in scientiis,  
& subiectis nobis Mechanicis omnibus imperavimus, subal-  
ternatorum regimini vice versa committimur; tanquam si  
Monarcha summe nobilis, rusticani calcaneis substernatur.  
Saltor, & futor, & scisor, quicunq; ac cuiuslibet operis artifex,  
nos inclusos custodit in carcere pro superfluis & lascivis deli-  
ciis clericorum.

Iam volumus prosequi novum genus iniuriæ, quo tam in  
nostris personis leditmur quā in fama, qua nihil charius possi-  
demus. Generositati nostræ omni die detrahitur, dum per pra-  
vos Compilatores, Translatores, Transformatores, nova nobis  
Auctoriū nomina imponuntur, & antiqua nobilitate mutata

regeneratione multiplici renalcentes degeneramus omnino; sicq; vilium \* victrictiorū (nobis nolentibus) affiguntur vocabula, & verorum patrum nomina filiis subducuntur. Versus Virgili⁹ adhuc ipso vivente quidam pseudo-versificus usurpavit, & *Martialis* coci libellos, *Fidentinus* quidam sibi mendaciter arrogavit, qnem idem *Martialis* redarguit merito, sub his verbis.

\* aucto<sup>rū</sup>um

*Quem recitas mens est, ô Fidentine, Libellus,*

*Sed male dum recitas, incipit esse tuus.*

Quid ergo mirum, si defunctis nostris auctoribus, suas per nos fimbrias Simiae clericorum magnificant, cum eisdem superstitibus nos recenter editos rapere moliantur.

Ah quoties nos antiquos fingitis nuper natos, & qui Patres sumus Filios nominare conamini, quiq; vos ad esse clericale creavimus, studiorum vestrorum fabricas appellatis. Re-vera de *Athenis* extitimus oriundi qui fingimur nunc de *Roma* (semper namq; *Carmentis* latruncula fuit *Cadmi*) & qui nuper nascebamus in *Anglia* cras *Parisis* renascemur, & inde delati *Bononiam, Italiam* sortiemur originem, nulla consanguinitate suffultam.

Heu quam falsis scriptoribus nos exarandos committitis? quam corrupte nos legitis? & quoties meditando necatis quod pio zelo corrigere credebatis? Interpretes barbaros sustinemus multoties, & qui linguarum idiomata nesciunt, nos de lingua ad lingua transferre presumunt; sique proprietate sermonis ablata sit sententia, contra sensum auctoris turpiter mutilata. Bene gratiola fuisset librorum conditio si *Turris Babel* nullatenus obsuisset præsumptio; Si totius humani generis vnica descēdisset sermonis species propagata.

Vltimam nostræ prolixæ querelæ, (sed pro materia quam habemus brevissimæ,) clausulam subiungemus. In nobis enim commutatur naturalis usus in eum usum qui est contra naturam, dum passim Pictoribus subdimur literarum ignaris, & Aurifabris (proh dolor) commendamur, nos qui sumus lumē fidelium animarum, vt siamus ac si non essemus sapientiæ sacra vasa, repositoria bractearum, devoluimur indebite in Lai-corum dominium (quod est nobis amarius omni morte) quo-

niam hii vendiderunt populum nostrum sine pretio, & inimici nostri iudices nostri fiunt.

Liquet omnibus ex prædictis quam infinita possemus in clericos invectiva conicere, si non honestati propriæ parceremus. Nam miles emeritus clypeū veneratur & arma; gratiusq; Corydon aratro tabescente bigæ, trahæ, tribulæ & ligationi, & omnis artifex manualis hyperdouliam propriam suis exhibet instrumentis, solus ingratus Clericus parvipendit & negligit per quæ sui honoris auspicia semper sumit.

### QUERIMONIA LIBRORUM contrareligiosos possessionatos.

#### CAP. 5.

**R**Eligionum veneranda devotio in librorum cultu solet esse sollicita, & in eorum eloquuis sicut in omnibus divitiis delectari. Scribebant namq; nonnulli manibus propriis, inter horas canonicas, intervallis captatis & tempora pro quiete corporis commodata fabricandis codicibus concesserunt, de quorum laboribus hodie in plerisq; splendid Monasteriis illa sacra Gazophylacia Cherubicis libris plena, ad dandam scientiam Salutis studentibus, atque lumen delestabile semitis Laicorum. O labor manualis felicior omni cura Georgica, O devota sollicitudo, vbi nec meretur *Mariha* corripi, nec *Maria*. O domus iucunda in qua *Rachel* formosæ *Lia* fœcunda non invidet; sed Contemplatio cum Activa gaudia miscet. Felix providentia pro futuro, infinitis posteris valitura, cui nulla virgultorum plantatio, nulla seminum satio comparatur, nulla Bucolica curiositas quorumlibet armentorum, nulla castrorum constructio munitorum.

Quamobrem immortalis debet esse Patrum illorum memoria, quos solius sapientiæ delestebat thesaurus; qui contra futuras caligines, luminosas lucernas artificiosissime providebunt, & contra famem audiendi verbum Dei panes non sub-

cine-

cineric eos neq; hordeaceos, neq; mucidos; sed paries azymos de purissima simila Sacrae Sophiæ confectos, accuratissime paraverunt quibus esurientes animæ feliciter cibarentur: hii fuerunt probissimi pugiles Christianæ militiae, quoniam nostram infirmitatem armis fortissimis munierunt. Hii fuerunt suis temporibus Vulpium veneratores cautissimi, qui jam nobis sua retia reliquerunt ut parvulas caperemus vulpeculas, quæ non cessant florentes vineas demoliri, vere patres egregii, benedictione perpetua recomplendi.

Felices merito fuissetis si vobis similem sobolem genuisse, si prolem non degenerem nec æquivocam reliquisse, ad sequentis temporis subsidium licuisset. Sed (quod dolentes referimus) iam *Thersites* signavus arma contrectat Achillis, & dextrariorum phaleræ præelectæ, pigritantibus asinis substernuntur. A quilarum nidis cæcutientes Noctuæ dominantur, & in Accipitris pertica residet vecors Milvus; *Liber Bacchus* respicitur & in ventrem traicitur nocte dieque, *Liber codex* despicitur & à manu reiicitur longe lateq;: tanquam si cuiusdam æquivationis multiplicitate fallatur simplex Monachica\* proles moderna, dum *Liber Pater* præponitur *Libro Patrum*. Calicibus epotandis non codicibus emendandis indulget hodie studium Monachorum; quibus lascivam Musicam *Timothei*, pudicis moribus æmulam, non verentur adiungere; sicque cantus ludentis, non planctus lugentis officium efficitur Monachale. Greges & vellera, fruges & horrea, porri & olera, potus & patera, lectiones sunt hodie & studia Monachorum (exceptis quibusdam paucis electis) in quibus Patrum præcedentium non imago sed vestigium remanet aliquale.

Rursus nulla nobis materia ministratur omnino, quam ut de nostro cultu vel studio commendentur hodie *Canonici Regulares*, qui licet à geminata regula nomen portent eximium *Augustini*: tamen regulæ notabilem neglexere versicolum, quo sub istis verbis suis clericis commendamur. Codices certa hora singulis diebus petantur, extra horam qui petierit non accipiat.

Hunc devotū studii Canonē vix observat aliquis post ecclesiā astica Canticā repetita; sed sapere quæ sunt Seculi, & aratum relictū intueri, sumā prudētia reputatur: tollunt pharetrā & arcū, apprehendunt arma & scutū, eleemosynariū tributū canibus tribuūt, non egenis, inserviunt aleis & taxillis, & his quæ nos secularibus inhibere solemus; ut non miremur si nos non dignentur respicere, quos sic cernerent suis moribus contrarie. Patres ergo Reverendi, Patrum vestrorum dignemini reminisci, & librorum propensius indulgete studio, sine quibus quælibet vacillabit religio; sine quibus ut testa, virtus devotionis arescet; sine quibus nullum lumen poteritis innendo præbere.

### QUERIMONIA LIBRORVM contra Religiosos mendicantes.

CAP. 6.

**P**Auperes spiritu, sed in fide ditissimi, mundi peripsema & sal terræ, seculi contemptores, & hominum piscatores, quam beati estis, si penuriam patientes pro Christo, animas vestras scitis in patientia possidere? Non enim vos vtrix iniqutatis inopia, nec parentum adversa fortuna, nec vlla violenta sic oppressit inedia; sed devota voluntas & electio Christi-formis, qua vitam illam optimam estimastis, quam Deus Omnipotens factus homo, tam verbo quam exemplo optimā prædicavit. Sane vos estis semper parientis Ecclesiae novus fœtus, pro Patribus & Prophetis noviter substituti divinitus; ut in omnem terram exeat sonus vester, & nostris salutaribus instituti doctrinis coram Gentibus & Regibus promulgetis inexpugnabilem fidem Christi. Porro fidem Patrum potissime libris esse inclusam, secundum Capitulū supra satis asseruit; quo constat luce clarius, quod librorum debetis esse zelotypi præ ceteris Christianis.

Seminare iubemini super omnes aquas, quoniam non est personarum acceptor Altissimus, nec vult mortem peccatorū Piissimus, qui occidi voluit pro eisdem: sed contritis corde mederi desiderat, atque lapsos erigi, & perversos corrigi spiritu

ritulenitatis. Ad quem effectum, saluberrimum, alma mater Ecclesia vos plantavit gratuito, plantatosque rigavit favo-ribus, & rigatos privilegiis suffulcavit, ut cum Pastoribus & Curatis, coadiutores essetis ad procurandum salutem anima-rum. Vnde & Prædicatorum ordinem, propter Sacrae Scripturæ studium, & proximorum salutem principaliter institutū, Constitutiones pronunciant eorundem: ut non solum ex re-gula reuerendi Præfusulis *Augustini*, qui codices singulis diebus iubet esse petendos; verum mox cum earundem Constituti-onum prologum legerint, ex ipsius libri capite ad amorem li-brorum se neverint obligatos. Sed (proh dolor) tam hos, quā alios istorum sectantes effigiem, a paterna cultura librorum & studio subtrahit triplex cura superflua; ventris viz. vestium, & domorū. Sic sunt enim (neglecta) Salvatoris providentia, quē Psalmista circa pauperem & mendicum promittit esse solici-tum,) circa labentis corporis indigentias occupati, ut sint epu-læ splendidæ, vesterisque contra regulam delicatæ, necnon & ædificiorum fabricæ, ut castrorum propugnacula, tali proceri-tate, quæ paupertati non convenit exaltatæ.

Propter hæc tria nos libri qui semper eos proveximus ad profectum, & inter potentes & nobiles sedes honoris conces-simus, elongati a cordis affectibus quasi inter supervacua re-putamur (excepto quod quibusdam quaternis parvi valoris insistunt) de quibus Hiberas venias, & apocrypha deliramen-ta producunt, non ad refocillationem animarum edulium, sed ad pruritum potius aurium auditorum: Sacra scriptura non exponitur; sed omnino deponitur quasi trita per vicos, & omnibus divulgata supponitur; cuius tamen simbrias vix pau-cissimi tetigerunt, cuius etiam tanta est literarum profunditas, ut ab humano intellectu (quantumcumque invigilet) sum-mo otio & maximo studio nequeat comprehendī sicut San-ctus asserit Augustinus.

De hac mille Moralis disciplinæ sententias enucleare po-terit qui indulget assidue, si tum ostium aperire dignetur ille qui condidit Spiritus pietatis, quæ & recentissima novitate pollebunt, & sapidissima suavitate auditorum intelligentias refovebunt. Quamobrem paupertatis Evangelicæ professores

primarii, post utcunque salutatas scientias seculares, toto mentis ingenio recollecto, huius se Scripturæ laboribus deoverunt nocte dieque, in lege Domini meditantes; quicquid vero poterant a famelcente ventre furari, vel corpori semi-testo surripere, illud lucrum præcipuum arbitrantes, vel emendis vel edendis codicibus ascripserunt; quorum contemporanei Seculares tam officium intuentes quam studium, libris eis quos in diversis mundi partibus sumptuose collegerant, ad totius edificationem Ecclesiaz contulerunt.

Sane diebus istis, cum sitis tota diligentia circa quæstus intenti, præsumptione probabili credi potest, si per <sup>\* a. d. p. a. m. d.</sup> sermo fiat Dei, circa vos minorem solitudinem gerere quos de sua promissione perpendit diffidere, in humanis providentiis spem habentes. Corvum non consideratis, nec Lilia, quos pascit & vestit Altissimus: Danielē & Abacuc coctipulmenti discophorū nō pensatis; nec Heliā recolitis, nūc in torre te p corvos, nūc in deserto per Angelū, nūc in Sarepta per vi-duā largitate divina (qui dat escā omni carnitēpore opportuno) a famis inedia liberatū. Climate miserabili (vt timetur) descenditis dum divinæ pietatis diffidentia, prudentiæ propriæ producit <sup>\* invisum</sup>. Invisus vero prudentiæ propriæ sollicitudinem generat terrenorum, sollicitudo quoque nimia terrenorum, librorum aditum tam amorem quam studium & sic cedit paupertas homini per abusum hodie verbi Dei dispensandum, quod solum propter ipsius adminiculum ele-gistis.

Vncinis pomorum (vt populus fabulatur) puerulos ad Religionem attrahitis, quos Professos doctrinis non instruitis, vi & meru (sicut exigit ætas illa) sed mendicaturis discursibus sustinetis intendere, atque tempus in quo possunt addiscere, in captandis favoribus amicorum consumere finitis, in offensam parentum, parvorum periculum, & ordinis detrimentū; sicque nimirum contingit quod qui parvuli discere minime cogebantur invitati, grandiores effecti docere præsumunt, indigni penitus & indocti; & parvus error in principio, maximus fit in fine.

Succrescit namque in grege vestro promiscue Laicorum quædam

<sup>\*</sup> Antrōpaz  
patos.

<sup>\*</sup> Locus satis  
obscurus, le-  
gendum ar-  
bitror innisi.

quædam multitudo plurimum onerosa , qui tamen se ad prædicationis officium tanto improbus ingerunt , quanto minus ea quæ loquuntur intelligunt,in contemptum sermonis divini , & in perniciem animarum. Sane contra legem in boue aratis & asino', cum indoctis & doctis culturā agri Dominici committitis. Pari passu scriptum est,boues arabant & asinæ pascebantur iuxta eos; quoniā discretorū interest prædicare,simpli- cium vero per auditū sacri eloquii,sub silentio se cibare. Quot lapides mittitis in accervum *Mercurij* hiis diebus? quot Eunuchis Sapientiæ nuptias procuratis? quot cæcos super muros Ecclesiæ circuire præcipitis? O pescatores inertes , solis retibus alienis vtentes,qui rupta vix imperite resutis, nova vero nullatenus connodatis ; aliorum labores intratis,aliorum studia, recitatis,aliorum sapientiam superficialiter repetitam, theatralistrepitulabiat. Quemadmodum Psittacus Idiota, auditas voces effigiat; sic tales recitatores fiunt omnino, sed nullius auctores. Asinam *Balaam* imitantes,quæ licet esset intrinsecus insensata ; lingua tamen diserta facta est tam diu,quam Prophetæ magistra.

Respicite pauperes Christi, & nos libros inspicite studiose, sine quibus in præparationem Evangelii Pacis numquam poteritis debitè calceari. *Paulus* Apostolus prædictor veritatis, & Doctor eximus Gentium, ista sibi per *Timothœū*, p omni supellecteli tria iussit afferri; penulā, libros, & membranas, secundo ad *Timothœū* vlt. Viris Ecclesiasticis formā præbens , vt habitum deferant ordinatum, libros habeant ad studendi subsidium, & membranas (quas Apostolus maxime ponderat ) ad scribendum; maxime( inquit) membranas. Revera mancus est ille Clericus, & ad multorum iacturam turpiter mutilatus , qui artis scribendi totaliter est ignarus,aerem vocibus verberat, & presentes tantū ædificat,absentibus & posteris nil parat . Atramentariū scriptoris gestabat in renibus vir, qui frōtes gemetiū *Tbau* signabat *Eze.9.* insinuans figuratę, quod si quis scribēdi peritia careat,prædicandi provinciam, officiū non præsumat: Tādē in presentis calce Capituli, supplicat vobis libri,juvenes vestros, aptos ingenio studiis applicate,necessaria ministrātes; quos non solummodo bonitatē,verū & disciplinā, & scientiā

doceatis, verberibus terreatis, attrahatis blanditiis, molliatis  
munusculis, & pœnosi rigoribus vrgeatis, vt *Socratismoribus*  
& doctrinis *Peripatetici* simul fiant. Heri quasi hora II.  
vos discretus Paterfamilias introduxit in vineam, antefero pe-  
nitus pigeat otiali. Vtinam cum prudenti villico mendican-  
di tam improbe verecundiam haberetis, tunc proculdubio li-  
bris & studio propensius vacaretis.

### QVERIMONIA LIBRORVM contra bella.

#### CAP. 7.

**P**Acis auctor & amator Altissime, dissipata Gentes bella vo-  
lentes, quia super omnes pestilentias libris nocent. Bella  
namque parentia rationis iudicio, furiosos efficiunt impetus in  
adversa, & dum rationis moderamine non utuntur, sine diffe-  
rentia discretionis progressa, vasa destruunt Rationis. Tunc  
prudens *Apollo Python* subiicitur, & tunc *Phrenes* pia mater  
in *Phrenes* redigitur potestatem; tunc pennatus *Pegasus* sta-  
bulo *Corydonis* includitur, & facundus *Mercurius* suffocatur,  
tunc *Pallas* prudens erroris mucrone conciditur, & iucundæ  
*Pierides* truculenta furoris tyrannide supprimuntur. O cru-  
dele spectaculum ubi Phœbum philosophorum Archisophon  
*Aristotelem*, cui orbis dominium Deus ipse commisit sce-  
lerosis manibus vinculatum, ferramentis infamibus compe-  
ditum, lanistarum humeris à sacratis ædibus asportari, & qui  
in mundi magistratu, magisterium, atque super Imper-  
atorem imperium meruit obtinere, iniustissimo belli iure vi-  
deres subiici vili scurræ. O potestas iniquissima tenebrarum  
quæ *Platonis* non veretur pessundare deitatem approbatam,  
qui solus conspectui Creatoris, priusquam bellantis Chaos  
placaret litigium, & antiquâ hylen entelechia induisset, spe-  
cies Ideales obiicere dignus fuit: nec mundum Archetypum  
demonstraret auctori, quo de superno exemplo mundus sen-  
sibilis duceretur. O lachrymosus intuitus quo moralis *Socra-*  
*tes* cuius actus virtus, & sermo doctrina, qui de naturæ princi-  
piis

piis politiè produxit irititiam, vitiosi vespilonis addictus cernitur servituti. Pythagoram plangimus harmoniæ parentem, bellorum incentricibus furiis flagellatū atrociter, vice cantus gemitus edere columbinos. Misericordia Zenonis principis Stoicorum, qui ne consilium præderet linguam mortuam secuit, & expuit intrepide in tyrannum. Heu! nam rursus Anaxarchus tritus in mortario punitillatur; certe non sufficimus singulos libros luctu lamentari condigno, qui in diversis mundi partibus bellorum discrimine perierunt. Horribilem tamē stragē, quæ per auxiliarios milites secundo bello Alexandrino contingit in Aegypto, stilo flebili memoramus: vbi 70000. millia voluminū ignibus conflagrarent, quæ sub Regibus Ptolomais, per multa curricula temporum sunt collecta (sicut recitat Agellius noctium Atticarum li. 6. ca. 17.) Quanta proles Atlantica tunc occubuisse putabatur? orbium motus omnes, conjunctiones Planetarum, Galaxiæ natura, & generationes prognosticæ Cometarum, ac quæcunq; in Cœlo fiunt, vel æthere comprehenduntur.

Quis tam infaustum Holocaustum, vbi loco crux incaustum offertur, non exhorreat? vbi prunæ candentes, Pergameni crepitantis sanguine, veruabantur? vbi tot innocentium millia, in quorum ore non est inventum mendacium, flammæ vorax consumpsit? vbi tot scrinia veritatis æternæ, ignis parcer nesciens in fœtentem cinerem commutavit? Minoris facinoris æstimatur, in Iephæ quam Agamemnonis victima, si pia filia, virgo, patris gladio iugulatur. Quot labores celebris Herculis tunc periisse putabimus, qui ob Astronomiæ peritiam, collo irreflexo coelum describitur sustulisse? cum iam secundo flammis Hercules sit iniectus. Arcana coelorum, quæ Ionathas non ab homine, neq; per hominem didicit; sed diuinatus inspiratus accepit, quem Zoroastres germanus eiusdem, immundorum servitor spirituum Brachmannis disseveruit; quæ etiam S: Enoch Paradisi præfetus, (priusquam transferretur de seculo) prophetavit; Imo quæ primus Adam filios docuit, sicut raptus in Ecstasi, in libro æternitatis prævierat, flammis illis nefandis probabiliter æstimatur destructa.

Aegyptiorum religio, quam liber Logostilus sic commendat

egregie, politia veterum Athenarum quæ nouem millibus annorum Athenas Græcia præcesserunt, carmina Chaldaeorum, considerationes Arabum & Indorum, cæremoniæ Iudeorum, Architectura Babyloniorū, Noæ Georgica,\* Moysis præstigia, Iosephus Planimetria, Sampsonis ænigmata, Salomonis problemata, à cedro Libani usq; ad hyssopum planissime disputata, Aesculapij antidota, Cadmi Grammatica, Parnassi poemata, Apollinis oracula, Argonautica Iasonis, Stratagemata Palamedis, & alia infinita Scientiarum secreta, huius incendiī tempestate creduntur sublata.

Numquid Aristotelem de circuli quadratura syllogismus Apodicticus latuisset, si libros veterum methodos Naturæ totius habentium, permisissent nefanda prælia superesse? Nec enim de mundi æternitate problema neutrum fecisset, nec de intellectuum humanorum pluralitate eorumque perpetuitate (ut verisimiliter creditur) dubitasset ullatenus, si perfectæ scientiæ veterum, invisorum bellorum pressuris obnoxiae non fuissent. Per bella namque ad patrias peregrinas distrahimur, obruncamur, vulneramur, & enormiter multilamur, sub terra suffocdimur, in mari submergimur, flammis exurimur, & in omni necis genere trucidamur.

Quantum sanguinis nostri fudit Scipio bellicosus, cum e-versioni Carthaginis, Romani Imperii impugnatrixis & æmuleç, anxius incumbebat? Quot millia millium, prælium decennale Trojanum, ab hac luce transmisit? quot per Antonium (Tullio iam occiso) externarum provinciarum latebras adierunt? quot de nobis per Theodoricum exulante Boetio in diversa mundi climata (sicut oues Pastore percutto) sunt dispersi? quot Seneca succumbente Neronis malitiæ, cum & volens & nolens, portas mortis adiret? ab eo divisi retrocessimus lachrymantem, & in quibus partibus hospitari possemus penitus ignorantes.

Felix fuit illa librorum translatio, quam in Persas de Athenis Xerxes fecisse describitur; quos rursus de Persis in Athenas Seleuchus reduxit. O postliminium salutare & gratiosum! Omnia letitia, quā tunc cerneret in Athenis, cū prolixi genitrix obviaret tripudians, matricēq; thalamū senescenti iā soli

boli denuo demonstrasset, resignatis hospitiis veteribus inqui-  
linis? Mox tabulata cedrina, cum lignis & trabibus levigatis,  
aptissimè complanantur auro & ebore, Epigræmata desig-  
nantur camerulis singulis, quibus ipsa volumina reverenter illa-  
ta suavissime colloquuntur; sic ut nullum alterius ingessum  
impedit, vel propinquitate nimia fratrem ledat. Ceterum in-  
finita sunt dispensia, quæ per seditiones bellorum, librorum  
generi sunt illata, (& quoniam infinita nullatenus perransire  
contingit) hic finaliter statuemus querimonia nostræ Gades,  
& ad preces in quibus incepimus regramus habendas: roga-  
tes suppliciter, vt Rector Olympi ac torius mundi dispensa-  
tor Altissimus, pacem firmet, & bellare moveat, ac tempora  
faciat sua protectione tranquilla.

*DE MVLTIPLICI OPPORTVNITATE  
quam habuimus librorum copiam conquirendo.*

CAP. 8.

**C**Vm omni negotio tempus sit, & opportunitas, (vt testa-  
tur Sapiens Ecclesiastis 3.) iam progredimur enarrare  
multiplices opportunitates, quibus in acquisitione librorum,  
nostris propositis, divinitate propitia iuvabamur. Quāvis enim  
ab adolescentia nostra semper socialē cōmunionē cum viris  
literatis & librorum dilectoribus delectaremur habere: succe-  
dentibus tamen prosperis, Regiæ Maiestatis consecuti notitiā,  
& in ipsis acceptati familiam, facultatem accepimus ampli-  
orem vbiliter visitandi pro libito, & venandi saltus quosdā  
delicatissimos, tum privatas, tū communes, cum Regulariū, tū  
Secularium Librarias. Sane dum invictissimi Regis Angli Ed.  
wardi tertij post Conquestum (cuius tempora serenare dignet-  
tur Altissimus diutine & tranquille) primo quidē suā concer-  
nentibus Curiā, deinde vero Remp. Regni sui Cancellarii viz,  
ac Thesaurii fūgeremur officiis, patescebat nobis aditus facilis,  
regalis favoris intuitu, ad libroru latebras libere perscrutādas.  
Amoris quippe nostri fama volatilis iam vbiq; percrebruit,  
tantumq; librorum, & maxime veterum ferebamur cupiditate  
languescere; posse vero quemlibet, nostrum per quaternos

facilius, quam per pecuniam adipisci favorem.

Quamobrem cum predicti Principis recolenda memorie bonitate suffulti, possemus obesse & prodesse, officere & proficere vehementer tam maioribus quam pusillis; affluerunt loco xeniorum & munierum, locoque donorum & ioculum, temulenti quaterni, ac decrepiti codices; nostris tamen tam affectibus, quam aspectibus pretiosi. Tunc nobilissimorum monasteriorum aperiabantur atria, referabantur scrinia, & cistulae solvabantur, & per longa secula in sepulchris soporata volumina, expurgant attonita, quæque in locis tenebrosis latuerant, novæ lucis radiis perfunduntur.

Delicatissimi quondam libri, corrupti & abhominabiles iam effecti, murium fetibus cooperti, & vermium morsibus terebrati, iacebant exanimes, & qui olim purpura vestiebantur & bysso, nunc in cinere & cilicio recubantes, oblivioni traditi videbantur, domicilia Tinearum. Inter hæc nihilominus, captatis temporibus, magis voluptuose consedimus, quam fecisset Medicus delicatus inter aromatum apothecas, ubi amoris nostri obiectum reperimus & fomentum, sic sacra vasæ scientiæ, ad nostræ dispensationis provenerunt arbitrium: quædam data, quædam vendita, ac nonnulla pro tempore commodata. Nimirum cum nos plerique de huiusmodi donariis cernerent contentatos, ea sponte nostris vñibus studuerunt tribuere, quibus ipsi libentius caruerunt: quorum tamen negotia sic expedire curavimus gratiose, ut & eisdem emolummentum accreseret, nullum tamen iustitia detrimentum sentiret.

Porro, si scyphos aureos & argenteos, si equos egregios si nummorum summas non modicas amassemus tunc temporis, dives nobis ærarium instaurasse possemus: sed revera libros non libras maluimus, codicesque plus quam florenos, ac pamphletos exiguos incrassatis prætulimus palfridis. Ad hæc, eiusdem Illustrissimi sempiternæ memorie legationibus crebris functi, & ob multiplicitia Regni negotia, nunc ad sedem Romanam, nunc ad Curiam Franciæ, nunc ad diversa mundi dominia, tædiosis Ambassiatibus, ac periculo-

periculis temporibus mittebamur: circumferentes tum ubi. que illam, quam aquæ plurimæ nequiverunt extinguere charitatem librorum. Hæc omnia peregrinarum nationum absinthia, quasi quædam pigmentaria potio dulcoravit, hæc post perplexas intricationes, & scrupulosos causalrum anfractus, ac vix egressibiles Reipub. labyrinthos ad respirandum parū per temperiem auræ levis aperuit.

O beate Deus Dæorum in Syon, quantus impetus fluminis voluptatis lætificavit cor nostrum, quoties Paradisum mudi Parisios visitare vacavimus ibi moraturi? Vbi nobis semper dies pauci, præ amoris magnitudine, videbantur. Ibi Bibliothecæ iucundæ super sellas aromatum redolentes, ibi vi-rens viridarium vniuersorum voluminum, ibi porta Academica, trementia terræ motu *Athenarum* diverticula, *Peripa-*  
*ticorum* itinera, *Parnassi* promontoria & porticus *Stoico-*  
*rum*: ibi cernitur tam artis quam scientiæ mensurator *A-*  
*rיסטoteles*, cuius est totum quod est optimum in doctrinis, in re-  
gione duntaxat transmutabili sublunari.

Ibi *Ptolomaus* Epicyclos & Eccentricos, Auges, atque *Genza-*  
*bar* Planetarum, figuris & numeris emetitur; Ibi *Paulus* arca-  
na revelat, ibi *Dionysius* convicinus Hierarchias coordinat &  
distinguit; ibi quoque quod *Cadmus* Grammaticæ recollectus,  
*Phœnices*, totum virgo *Carmentis* charactere representat  
Latino. Ibi revera thesauris apertis, & Sacculorum corrigiis  
resolutis, pecuniam læto corde dispersimus, atque impreta-  
biles luto redimimus & arena. Nequaquam malum est, in-  
sonuit omnis emptor; sed ecce quam bonum & quam iucun-  
dum, arma clericalis militiæ congregare in vnum, vt suppe-  
tat nobis vnde hæreticorum bella conteramus, si insurgant.  
Amplius, opportunitatem maximam nos captasse cognos-  
cimus per hoc, quod ab ætate tenera, Magistrorum & Sco-  
lariū, ac diversarum Artium (& Professorum) quos ingenii per-  
spicacitas, ac doctrinæ celebritas clariores efficerat, relega-  
to quomodolibet partiali favore) exquisitissima solicitudine,  
nostra semper coniunximus commercia, quorum consolatio-  
nis colloquiis confortati, nunc argumentorum ostensivis inve-  
stigationibus, nunc Philosophorum procœssum, ac Ca-  
tholicorum:

tholicorum Doctorum tractatum recitationibus, nunc moralitatum excitativis Collationibus, velut alternatis & multiplicatis ingenii ferculis, dulcius fovebamur. Tales in nostro tytocinio commilitones elegimus, tales in thalamo collaterales habuimus, tales in itinere comites, tales in hospitio commensales, & tales penitus in omni fortuna Sodales. Verum quia nulla felicitas diu durare permittitur, privabamur nonnunquam luminum aliquorum praesentia corporali; cum eisdem promotiones Ecclesiastice, & dignitates debitae (prospiciente de coelo iustitia) provenerunt; quo siebat, ut incumbentes (sicut oportuit) curæ propriæ, se à nostris cogerentur obsequiis absentare.

Rursus compendiosissimam semitam subiungemus, per quam ad manus nostras, librorum pervenit tam veterū, quam novorum, plurima multitudo. Religiosorum siquidem mendicantium paupertatem suscepit pro Christo, nunquam indignantes horruimus; verum ipsos ubiq; terrarum, in nostræ compassionis vlnas admisimus mansuetas, affabilitate familiarissima, in personæ nostræ devotionem alleexus, alleatosq; beneficiorum liberalitate munifica fovimus propter Deum; quorum sic eramus omnium benefactor communis, ut nihilominus videremur quadam paternitatis proprietate singulos adoptasse, istis in statu quolibet facti sumus refugium, istis nunquam clausimus gratiæ nostræ sinum.

Quamobrem istos yotorum peculiarissimos zelatores habere meruimus, & tam opere quam opera promotores, qui circuentes mare & aridam, ac orbis ambitum perlustrantes; Universitates, diversarumq; provinciarum generalia studia perscrutantes, nostris desideriis militare studebant, certissima spe mercedis. Quis inter tot argutissimos venatores lepusculus delitesceret? quis pisciculus istorum nunc hamos, nunc retia, nunc sagenas evaderet? A corpore S. Legis Dominicæ, vsq; ad quaternum sophismatum hesternorum, nihil istos præterire potuit scrutatores, si in fonte fidei Christianæ, Curia Sacra-Sancta Romana sermo devotus insonuit; vel si pro novis causis quæstio ventilabatur extranea.

Si Parisiensis soliditas, quæ plus Antiquitati descendat, quam veritati

veritati subtiliter producendæ iam studet ; Si *Anglicana perspicacitas*, quæ antiquis perfusa luminaribus novos temper radios veritatis emitit , quicquid ad augmentum scientiæ , vel declarationem fidei promulgabat , hoc statim recens nostris infundebatur auditibus,nullo denigratū seminiverbo nulloque nugace corruptum ; sed de prælo purissimi torcularis, nostræ memoriarum dolium defæcandum transibat . Cum vero nos ad civitates & loca contingeret declinare , vbi præfati pauperes Conventus habebant , eorum Armaria , ac quæcunque librorum Repositoria visitare non piguit : imo ibi in altissima paupertate, altissimas divitias sapientiæ thesaurizatas invenimus , & non solum in eorum sarcinulis & sportellis, micas de mensa dominorum cadentes reperimus pro cancellis ; verum panes Propositionis , absque fermento , panemque Angelorum omne in se delectamentum habentem ; imo horrea *Joseph* plena frumentis , totamque Aegypti suppelle etilem , atque dona altissima , quæ Regina *Saba* detulit *Salomoni*.

Hii sunt formicæ quotidie congregantes in messem , & appetentes argumentosæ , fabricantes iugiter cellas mellis . Hii successores *Bezaleel* , ad excogitandum quicquid affabre fieri potest in argento , & auro , ac gemmis , quibus Templum Ecclesiæ decoretur . Hii prudentes Polymitarii , qui superhumeralē & rationale Pontificis , sed & vestes varias efficiunt Sacerdotum . Hii cortinas , saga , pelleſq; arietum rubricatas refaciunt , quibus Ecclesiæ militantis tabernaculum contingatur . Agricolæ seminantes , boues triturantes , tubæ buccinantes , Pleiades emicantes , & stellæ manentes in ordine suo , quæ *Sisaram* expugnare non cessant , & ut veritas honoretur (salvo præiudicio cuiuscunq;) licet hii nuper undecima hora vienam sint ingressi dominicam (sicut amantissimi nobis libri capitulo sexto anxius allegabant) plus tamen in hac hora brevissima sacrorum librorum adiecerunt paginæ , quam omnes residui vinitores : *Pauli* lectantes vestigia , qui vocatione novissimus , prædicatione primus , multo latius aliis evangelium Christi sparsit . De istis ad statum Pontificalem assumptis , nonnullos habuimus de duobus ordinibus predicatorum

viz. & Minorum nostris assistentes lateribus, nostræq; familiæ commensales; viros vtiq; tam moribus insignitos, quam literis, qui diversorum voluminum correctionibus, expositionibus, tabulationibus, ac compilationibus, indefessis studiis incumbebant.

Sane quamvis omnium Religiosorum communicatione multiplici, plurimotum operum copiam tam novorum quam veterum assecuti fuerimus; prædicatores tamen extollimus merito speciali præconio in hac parte, quod eos præ cunctis Religiosis, suorum sine invidia gratissimæ communicationis invenimus, ac divina quadam liberalitate perfusos sapientiæ luminosæ probavimus; non avaros, sed idoneos possessores. Præter has omnes opportunitates prætactas, Stationariorū ac Librariorū notitiam, non solum infra natalis soli provinciam: sed per Regnum Francia, Teutonia, & Italia dispersorum, comparavimus faciliter, pecunia prævolante; nec eos ullatus impeditivit distantia, neque furor maris absterruit, nec eis pro expensa defecit, quin ad nos optatos libros transmitterent vel afferrent. Sciebant profecto quod spes eorum in sinu nostro deposita, defraudari nō poterat, sed restabat apud nos copiosa redemptio cum usuris.

Deniq; nec Rectores scholarum ruralium, puerorumque studium Pædagogos nostra neglexit communio, singulorum captatrix amoris; sed potius cum vacaret, eorum hortulos & agellos ingressi, flores superficietenus redolentes collegimus, ac radices effodimus obsoletas, studiosis tamen accommodatas, & quæ possent digesta barbarie rancida, pectorales arterias eloquentiæ munere meditari. Inter huiusmodi pleraque competimus renovari dignissima, quæ solerter elimata rubigine turpi, larua vetustatis deposita, merebantur venustis vultibus denuo reformari: quæ nos adhibita necessariorum sufficientia in futuræ resurrectionis exemplum, resuscitata quodā modo, redivivæ reddidimus ospitati.

Ceterum apud nos, in nostris maneriis, multitudo non modica semper erat Antiquariorum, Scriptorum, Correctorum, Colligatorum, Illuminatorum, & generaliter omnium qui poterant librorum servitiis utiliter insudare. Postremo omnes utriusq;

vtriusq; sexus, omnisq; status vel dignitatis conditio (cuius erat cum libris aliquale commercium) cordis nostri ianuas pulsí poterant aperire facillime, & in nostræ gratiæ gremio, commodosum reperire cubile. Sic omnes admisimus codices affrentes, vt nunquam præcedentium multitudo, fastidium posterorum efficeret, vel hesternum beneficium præcollatum, præiudicium pareret hodierno. Quapropter cum omnibus personis memoratis, quasi quibusdam Adamantibus attractivis librorum iugiter vtereinur, fiebat ad nos desideratus accessus vasorum scientiæ, & volatus multifarius voluminum optimorum, & hoc est quod præsenti Capitulo sumpsimus enarrare.

*QVOD LICET OPERA VETERVM AM-*  
*plus amaremus, non tamen damnamus studia*  
*modernorum.*

### CAP. 9.

**L**IET nostris desideriis novitas modernorum nunquam fuit odiosa, qui vacantes studiis ac priorum Patrum semitis, quicquid vel utiliter vel subtiliter adiicientes, grata semper affectione coluimus: antiquorum tamen examinatos libros vel labores, securiori aviditate cupimus perscrutari. Sive enim naturaliter viguerunt perspicacioris mentis ingenio, sive vtriusq; suffulti subsidio perfecerunt, hoc vnum compemus evidenter, quod vix sufficiunt Successores priorum competa discutere, atque ea per doctrinæ captare dispendium, quæ antiqui anfractuosis adinventionibus effoderunt.

Sicut enim in corporis probitate præstantiores legimus præcessisse, quam moderna tempora exhibere noscantur; ita luculentioribus sensibus præfusisse plerosq; veterum opinari, nullatenus est absurdum, cum vtriosq; opera quæ gesserunt inattigibiles posteris æque probent. Vnde Phocas in prologo Grammaticæ suæ scribit:

*Omnia cum veterum sint explorata Libellis,*  
*Multa loqui breviter si novitatis opus.*

Nempe si de fervore discendi, & diligentia studii fiat sermo, illi Philosophie vitam totam integrum devoverunt; nostri vero seculi contemporanei paucos annos servidæ iuventutis æstuantis, vicissim incendiis vitiorū segniter applicant, & cū sedatis passionibus discernendę ambigue veritatis acumen attingerint, mox externis implicati negotiis retrocedunt, & Philosophiae Gymnasiis valedicunt; mustū fumosum iuvenilis ingenii, philosophicę difficultati delibant, viniq; maturius defēcatum Oeconomicę sollicitudini largiuntur. Amplius (sicut Ovidius de Vetera merito lamentatur.)

*Omnis declinavit ad ea qua lucra ministrant,*

*Viginti sciant, discunt pauci: plures ut abundent.*

*Sic te prostituunt (O virgo) scientia, sic te*

*Venalem faciunt castis amplexibus aptam.*

*Non te, propter te quarentes, sed lucra prote:*

*Ditarig, volunt potius, quam Philosophari.*

Et ita sicut Philosophia exilium patitur, Philopœcunia regnat, quam constat esse violentissimum Toxicum disciplinæ.

Qualiter vero non alium terminum studio posuerunt antiqui, quam vitæ, declarat Valerius ad Tiberium lib. 8. cap. 7. per exempla multorum. Carneades (inquit) laboriosus ac diutinus Sapientię miles fuit; siquidem expletis 90. annis, idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit. Socrates 94. annum agens, nobilissimum librum scripsit.; Sophaclès prope centesimum annum agens; Simonides 80 anno carmina scripsit. Agellius non afferat diutius vivere, quam esset idoneus ad scribendum (teste seipso in Prologo Noctium Atticarū.) Fervorem vero studii quem habebat Euclides Socratus, recitare solebat Taurus Philosophus, vt iuvenes ad studium animaret, sicut refert (Agellius lib. 6. c. 10.) voluminis memorati. Athenienses namq; cū Megarenses odirent, decreverunt, quod si quis de Megarenisibus Athenas intraret, capite plesteretur: tunc Euclides qui Megarensis erat, & ante illud decretū Socrate audiērat, muliebri ornamento contentus est; de nocte (vt Socratem audiret) ibat de Megaris ad Athenas, viginti millia passuum, & redibat. Imprudens & nimius fuit fervor Archimedis, Geometræ

tricæ facultatis amator, nomen edisserere noluit, nec à figura protracta caput erigere, quo vitæ mortalis fata poterat prolóngasse. Sed indulgens studio, plusquam vitæ, studiosam figuram vitali sanguine cruentavit.

Quamplurima huius nostri propositi sunt exempla, nec ea quidem transcurrere brevitas affectata permittit; sed (quod dolentes referimus) iter prorsus diversum incedunt Clerici celebres his diebus. Ambitione siquidem ætate tenera laborantes, ac presumptionis pennas Icarias inexpertis lacertis, fragiliter coaptantes pileum magistralem, immaturi proripiunt, siunt q; parvuli facultati pluriū professores immeriti, quas nequaquā pedetentim pertranseunt, sed ad instar caprearū saltuum ascendunt, cūq; parū de grandi torrente gustaverint, arbitratur se totū funditus sorbuscisse, vix faucibus humectatis; & quia in primis rudimentis tempore congruo non fundatur, super debile fundamentū opus ædificant ruinosum; iāq; projectos pudet addiscere, quæ tenellos decuerat didicisse, & sic profecto coguntur perpetuo luere, quod ad fasces indebitos præpropere salicrint. Propter hęc & alia similia, tyrones scholastici, soliditatem doctrinæ quam veteres habuerunt, tā paucis lucubratiunculis non attingunt; quātūcunq; fungantur honoribus, censeantur nominibus, autorizentur habitibus, locenturq; solemniter in Cathedris Seniorum.

Prisciani regulas & Donati, statim de cunis crepti & celeriter ablactati perlingunt; Categorias, & Perihermenias (in cuius scriptura sumimus Aristoteles calatum in corde tinuisse confingitur) infantuli balbutie resonant impuberes & imberbes, quarum facultatum itinera, dispendioso compendio d'amnosoq; diplomate transmeantes, in S. Moysem manus iniiciunt violētas, ac se tenebrosis aquis in nubibus aeris \*feraliter aspergentes, ad Pōtificatus insulā caput parant, nulla decoratū canicie senectutis: promovent plurimū istā pestē, iuvātq; ad istū phantasticum clericatum cum perniciibus passibus attingendum, Papalis provisio, seductoris precibus impetrata, nec non & preces (quæ repelliri non possunt) Cardinalium, & potentum amicorum cupiditas, & parentum, qui ædificantes Sion in sanguinibus, prius suis nepotibus & alumnis

Ecclesiasticas dignitates anticipant, quam naturæ successu vel doctrinæ temperie maturescant.

Isto ( proh dolor ) paroxysmo quem plangimus, *Parisien-*  
*se Palladium nostris moestis temporibus, cernimus iam sub-*  
*latum ; vbi teput, imò fere friguit zelus Scholæ tam nobilis,*  
*& ius olim radii lucem dabant vniversis angulis orbis terræ,*  
*quiescit ibidem iam calamus omnis scribæ, nec librorum ge-*  
*neratio propagatur vterius, nec est qui incipiat novus au-*  
*& tor haberi. Involvunt sententias sermonibus imperitis, &*  
*omnis Logicæ proprietate privantur ; nisi quod Anglicanas*  
*subtilitates ( quibus palam detrahunt ) vigiliis furtivis addisc-*  
*unt. Minerva mirabilis Nationes hominum circuire vi-*  
*detur, & à fine vsq; ad finem attingit fortiter, vt seipsum com-*  
*municet vniversis. Indos, Babylonios, Ægyptios atq; Gracos,*  
*Arabas & Latinos eam pretermisso iam cernimus ; iam A-*  
*thenas deseruit, iam à Roma recessit, iam Parisios preterivit,*  
*iam ad Britanniam insularum insignissimam, quin potius us-*  
*uejnoquoy accessir, vt se Græcis & Barbaris debitricem ostendat.* Quo miraculo perfecto coniicitur à plenisq;, quod si-  
*cum Galliæ iam Sophia tepeſcit, ſic eiusdem militia penitus*  
*evirata languescit.*

### DE SVCESSIVA LIBRORVM perfectione.

#### CAP. 10.

**S**Apientiam veterum exquirentes assidue, iuxta Sapien-  
 tis consilium Eccles. 30. Sapientiam inquit antiquorum  
 omnium exquires sapiens, non in illam opinionem dignum  
 duximus declinandum, vt primos artium fundatores omnem  
 ruditatem elimasse dicamus ; Scientes ad inventionem cu-  
 iusq; fideli canone ponderatam, pusillam efficere Scientiæ  
 portionem. Sed per plurimorum investigationes sollicitas,  
 quasi datis symbolis, singillatim Scientiarum ingentia corpo-  
 ra, ad immensas quas cernimus quantitates, successuis aug-  
 mentationibus succreverunt. Semper namq; diiſcipuli Magi-  
 strorum

strorum sententias iterata fornace liquantes, præneglectam scoriam excoixerunt, donec fieret aurum electum purgatum terræ, purgatum septuplum, & perfecte nullius erronei vel dubij admixtione fucatum.

Neque enim *Aristoteles* (quamvis ingenio Gigantis floret,) in quo Naturæ complacuit experiri quantum immortalitatis rationis posset committere, quemq; paulò minus ab Angelis minoravit Altissimus, illa mira volumina (quæ totus vix capit orbis) ex digitis suis suxit; qn in imo *Hebreorum, Babyloniorum, Aegyptiorum, Chaldaeorum, Persarum etiam & Medorum*, (quos omnes diserta Græcia in thesauros suos transtulerat) Sacros libros oculis Lynceis penetrando pviderat; quorum rectè dicta recipiens, aspera complanavit, superflua resecuit, diminuta supplevit, & errata delevit; ac non solum sincere docentibus, sed & oberrantibus regripiandum censuit, quasi viam præbentibus, veritatem facilius inquirendi (sicut ipse met. 2. *Metaphys.* clare docet.)

Sic multi *Iurisperiti* condidere Pandectam, sic *Medici* multi *Tegni*, sic *Avicenna* *Canonem*, sic *Plinius* *violam illam Historia Naturalis*, sic *Ptolomaeus* edidit *Almagestum*. Quemadmodum namq; in scriptoribus Annalium, considerare non est difficile, quod semper posterior præsupponit priorem, sine quo prælapsa tempora nullatenus enarrare valeret: sic est in Scientiarum auctoribus estimandū. Nemo namq; solus quinque scientiam generavit; tamen inter vetustissimos & novellos, intermedios reperimus; antiquos quidem, si nostris Temporibus comparentur, novos vero si ad studiorum fundamina referantur, & istos doctissimos arbitramur.

Quid fecisset *Virgilius* Latinorum Poeta præcipuus, si *Theocritum, Luckettum, & Homerum* minime spoliasset! in eorum vitula nō arasset? quid nisi *Parthenium, Pindarumq;* (cuius eloquentiam nullo modo potuit imitari,) aliquatenus lexitasset? Quid *Salustius, Tullius, Boetius, Macrobius, Lactantius, Mariannus*, imo tota cohors generaliter *Latinorum*, si *Athenarum* studia vel *Gracorum* volumina non vidissent? Parum certè in *Scripturæ Gazophylacium, Hieronymus* trium linguarum peritus, *Ambrosius, Augustinus* (qui tamen Græcas literas se fate-

etur odisse, imo *Gregorius* (qui prorsus eas se nescire describit) ad doctrinam Ecclesiae contulissent; si nil eisdem doctri*n* Gracia commodasset, cuius rivulis *Roma* rigata, sicut prius generavit Philosophos ad Græcorum estigiem, pari forma postea protulit Orthodoxæ fidei tractatores, sudores, sunt Græcorum symbola quæ cantamus, eorundem declarata consiliis, & multorum martyrio confirmata: cedit tamen ad gloriam Latinorum per accidens habitudo nativa, quoniam sicut fuerunt in studiis minus docti, sic in erroribus minus mali. *Arianus* nempe malitia fere totam eclipsarat Ecclesiam, *Nestorianus* nequissima quæ blasphema rabie debacchari præsumpsit in *Virginem*, tam nomen quam definitionem *Georgius* abstulisset Reginę; non pugnando, sed disputando, nisi miles invictus *Cyrillus*, ad monomachia congressum paratus, eam (favente Concilio *Ephesino*) in spiritu vehementi penitus exsufflasset.

Innumerabiles nobis sunt, Græcarū hæresium tam species, quam auctores. Nam sicut sacrosanctæ fidei primitivi cultores; ita & primi Zizaniorum satores, produntur Historiis fidelis; sicq; posterius profecerūt in peius; quod dum inconsutile tunicam scindere molirentur, claritatem doctrinæ prohibitam prodiderunt totaliter, ac novis tenebris excæcati decidunt in abyssum, nisi ille sua occulta dispensem̄t potentia, cuius sapientiam numerus non metitur.

Hæc Hactenus, (nam hic nobis subducitur iudicandi facultas) vnum tamen elicimus ex prædictis, quod damnsa nimis est hodie studio Latinorum Græci sermonis inscientia, sine quo scriptorum veterum dogmata, siue Christianorum, siue Gentilium, nequeunt apprehendi. Idemq; de Arabico in plerisque tractatibus Astronomicis, & Hebraico pro tex-  
tu Sacrae Bibliæ verisimiliter est censendum, quibus defec-  
tibus proinde *Clemens* 5. occurrit si tamen Prælati quæ faciliter statuunt faciliter observarent. Quamobrem Grammati-  
cam tam Hebræam quam Græcam, nostris scholaribus provi-  
dere curavimus, cum quibusdam adiunctis, quorum admini-  
culo studiosi lectores in dictarum Linguarum scriptura, imo  
& intellectu plurimum poterunt informari, licet proprietatem  
Idiomatis, solus auditus aurium animæ repræsentet.

QVARE LIBROS LIBERALIVM AR-  
tium pratulimus libris Iuris.

CAP. II.

**I**Uris Positivi lucrativa peritia, dispensandis terrenis acco-  
moda, quanto huius seculi filiis famulatur vtilius, tanto mi-  
nus ad capescenda S. Scripturæ mysteria, & arcana fidei Sa-  
cramenta, filiis Lucis confert : vt pote quæ disponit pecu-  
liariter ad amicitiam huius mundi, per quam homo (*Jacobo at-*  
*testante*) Dei constituitur inimicus. Hinc nimis lites hu-  
manas quas infirma producit tepiditas, intricatis Legibus  
(quæ ad utrumlibet dici possunt,) extendit, crebrius quam  
extinguit; ad quas tamen sedandas, à Iurisconsultis & pro-  
priis Principibus noscitur emanasse. Sanc cum contrario-  
rum eadem sit disciplina, potentiaque rationalis valeat ad  
opposita similisque sensus humanus proclivior sit ad malum;  
huius facultatis exercitatoribus accidit, vt plerumque litibus  
intendendis indulgeant, plusquam paci, & iura non ad Legi-  
slatoris intentum referant, sed ad suę machinationis effectum  
verba retorqueant violenter.

Quamobrem, licet mentem nostram Librorum amor hæ-  
res possideret à puerō, quorum zelo languescere vice Volup-  
tatis accepimus: minus tamen librorum Civilium appetitus  
nostris adhæsit affectibus, minusque huiusmodi voluminibus  
adquirendis concessimus, tam opera quam impensis. Sunt e-  
nī vtilia, sicut *Scorpio* & *Theriaca* ( quemadmodum *lib.*  
de *Pomo* *Aristoteles* Sol doctrinæ, de Logica definivit.)  
Cernebamus etiam inter se leges & Scientias quandam Na-  
turæ differentiam habere manifestam, dum omnis Scien-  
tia iucundatur & appetit, quod suorum principiorum præ-  
cordia introspectis visceribus, pateant, & radices suæ pul-  
lulationis emineant, suæque scaturiginis emanatio luceat e-  
videnter; sic enim ex cognato & consono lumine veritatis  
conclusionis ad principia ipsum corpus Scientiæ lucidum fiet  
totū, non habens aliquam partē tenebrarū. At vero leges (cū

sint quædam pacta & humana statuta ad civiliter convivendum) vel iuga Principum, superiecta cervicibus subditorum, recusant reduci ad ipsam Synteresim, æquitatis originem, eoque plus habere se timent de voluptatis imperio, quam de arbitrio rationis.

Quapropter causas legum discutiendas non esse, suadet in pluribus sententia sapientum. Nec in consuetudine sola, leges multæ vigorem adquirunt, non necessitate syllogistica, sicut Artes provenire. Polit. astruit Aristoteles, Phæbus scholæ, ubi politiam redarguit Hippodami, quæ novarum legum inventoribus præmia pollicetur: quia leges veteres abrogare, & novas statuere, est ipsorum quæ fiunt valetudinem infirmare, quæ in sola consuetudine stabilitatem accipiunt, hæc necesse est ut desuetudine dimittantur.

Ex quibus liquido satis constat, quod sicut leges, nec artes sunt, nec scientiæ: sic nec libri legum, scientiarum vel artium propriæ dici possunt; nec est hæc facultas inter Scientias re-censenda, quam licet Geologiam appropriato vocabulo nominare; libri vero literarum liberalium, tam utiles Scripturæ Divine, quod sine ipsorum subsidio frustra ad ipsius notitiam intellectus aspiret.

## QVARE LIBROS GRAMMATICALES tanta diligentia curavimus renovare.

### CAP. 12.

**C**Vm librorum lectionibus foueremur assidue, quos moris est quotidie legere vel audire, perpendimus evidenter quantum impedit intellectus officium, vel vnius vocabuli semiplena notitia, dum nullius enunciationis sententia capitatur, cuius pars quantilibet ignoratur. Quapropter exoticorum verborum interpretationes, mira subtilitate iussimus annotari, antiquorum Grammaticorum Orthographiam, Prosodiām, Etymiologiam, ac Syntaxin inconcussa curiositate consideramus, terminos vetustate nimia caligantes descriptionibus

bus congruis lucidare curavimus, quatenus iter planum nostris studentibus pararemus. Hæc est sane summa totalis, quare tot Grammaticorum antiquata volumina, emendatis codicibus renovare studuimus, ut stratas regias sternemus, quibus ad Artes quascunq; nostri futuri scholares incederent inoffense.

*QUARE NON OMNINO  
negleximus fabulas Poetarum.*

CAP. 13.

**O**Mnia genera machinarum, quibus contra Poetas solius nudæ veritatis amatores obiiciunt, duplice refelluntur vmbone; quia vel in obsecena ingratus cultus sermonis addiscitur, vel ubi ficta sed honesta tractatur sententia, Naturalis vel Historialis veritas indagatur, sub eloquio Typicæ fictionis. Quamvis nimirum omnes homines naturaliter scire desiderent, non tamen omnes æqualiter delectantur addiscere; quinimo studii labore gustato, & sensuum fatigatione percepta, plerique invicem abiiciunt inconsulte, priusquam testa soluta, nucleus attingatur. Innatus est enim hominum 24. annorum, amor propriæ libertatis in regimine, & aliquantæ voluptatis in opere, unde nullus sine causa alieno se subdit imperio, vel opus quodcumque exercet cum tardio sua sponte; delectatio namq; perficit operationem, sicut pulchritudo inventutem (sicut Aristoteles verissime dogmatizat) 10. Ethicorum.

Idcirco prudentia veterum adinvenit remedium, quo lascivum humanum ingenium caperetur quodammodo pio dolo, dum sub voluptatis Iconio, delicate munera delitescerent in occulto. Muneribus parvulos solemus allicere, ut illa gratis velint addiscere, quibus eos vel invitatos intendimus applicare: non enim natura corrupta eo impetu quo prona se pellit ad vitia, transmigrat ad virtutes. Hæc in brevi versiculo nobis declarat Horatius, ubi Artem tradit Poeticam ita dicens:

*Aut prodeesse volunt, aut delectare Poete,*

Hoc idem in alio versu eiusdem lib. patenter insinuat ita scribens.

*Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.*

Quot *Euclidis* discipulos retroiecit eleofuga, quasi scopulus eminens & abruptus, qui nullo scalarum suffragio scandi posset. Durus est, (inquit) hic sermo, quis potest eum audire? Filius inconstantia, qui tandem in Asinum transformari volebat, Philosophiae studium, nullatenus forsitan dimisisset, si eidem coniecta voluptatis velamine familiariter occurrisset; sed mox *Cratoni* cathedra stupefactus, & quaestionibus infinitis, quasi quodā fulmine subito repercussus, nullum prorsus videbat refugium nisi fugam.

Hæc in excusationem adduximus Poetarum, iam studentes intentione debita in eisdem, ostendimus inculpandos. Ignorantia quidem solius vnius vocabuli, prægrandis sententiae impedit intellectum (sicut proximo capitulo est assumptum.) Cum igitur dicta Sanctorum Poetarum, figmentis frequenter alludant; evenire necesse est, vt nescito poemate introdueto, tota ipsius auctoris intentio penitus obstruatur. Et certe (sicut dicit *Cassiodorus* lib. suo de institutione divinarum literarum) non sunt pāva censenda, sine quibus magna constare non possunt: restat igitur, vt ignoratis poesibus ignoretur *Hieronymus*, *Augustinus*, *Boetius*, *Lactantius*, *Sidonius* & plerique alii, quorum lataniam prolixum capitulum non tenebet.

Venerabilis vero *Beda*, huius dubitationis articulum distinctione declaravit dilucida (sicut recitat compilator egregius *Gratianus* plurium repetitorum auctorum) qui sicut fuit avariior in compilationibus materia; sic consulus reperitur in forma. Scribit tamen sic dist. 37. Turbat acumen. Seculares literas quidam legunt ad voluptatem, poetarum figmentis, & verborum ordinatu dele etati: quidam vero ad eruditionem eas addiscunt, vt errores Gentium legendo detestentur, & utilia quæ in eis iuveniuntur ad usum sacræ eruditionis devoti convertant; tales laudabiliter seculares literas addiscunt. Hec *Beda*.

Hac institutione salutifera moniti, fileant detrahentes studentibus in poetis ad tempus, nec ignorantés huiusmodi quæstiones

stiones desiderent, quia hoc est simile solatio miserorum. Statutat igitur quisq; pie intentionis affectum, & de qualicunque materia, (observatis virtutum circumstantiis) faciet studium Deo gratum, & si in poeta proficerit, (quemadmodum magnus \* Maro se fatetur in *Ennio*) non amisit.

\* Varro.

*QVINAM DEBERENT ESSE LIBRORUM POTISSIMI DELECTORES.*

CAP. 14.

REcolligenti prædicta palam est & perspicuum, qui debent esse librorum præcipui delectores. Qui namq; sapientia magis egent, ad sui status officium utiliter exequendum, hui potissimum sacris vasibus Sapientiæ, propensiorem (proculdubio) exhibere tenentur sollicitum grati cordis affectum. Est autem sapientis officium, bene ordinare & alios, & seipsum, secundum Phæbum Philosophorum *Aristotelem I. Metap.* qui nec fallit, nec fallitur in humanis.

Quapropter, Principes, & Prælati, Judices, & Doctores, & quicunq; Reip. directores, sicut præ aliis, sapientia opus habent: ita præ aliis, vasibus Sapientiæ opus habent. Philosophiam nimirum respexit Boetius, in sinistra siquidem sceptrū, in dextra libros gestantem; per quod vñiversis evidenter ostenditur, nullum posse Remp. bene regere, sine librís. Tu inquit Boetius (loquens Philosophiæ) hanc sententiam Platonis ore sanxisti, beatas fore Resp. si eas vel studiosi Sapientiæ regerent, vel eorum Rectores studere Sapientiæ contigisset. Rursum hoc nobis insinuat ipse gestus imaginis, quod quanto dextra sinistram præcellit; tanto Contemplativa dignior est Activa, simulq; sapientissime interesse monstratur nunc studio veritatis, nunc dispensatione temporalium indulgere vicissim.

Philipum legimus diis regratiatum devote, quod *Alexandrum tempore Aristotelis* concesserant esse natum; cuius instructionibus educatus, regni paterni moderamine dignus esset. Dum Phæton ignarus regiminis, fit currus auriga paterni:

nunc vicinitate nimia, nunc remota distantia, infeliciter administrat mortalibus æstum Phæbi, at ne omnes periclitarentur subiecti propinquo regimine, iustè meruit fulminari. Referunt tam Græcorum, quam Latinorum Historiæ, quod nobiles inter eos Principes non fuerunt, qui literarum peritia caruerunt. Sacra Lex Mosaica, præscribens Regi regulam per quam regat, librum Legis divinæ sibi præcipit habere descriptum *Deuter. 17.* secundum exemplar à Sacerdotibus exhibendum, in quo sibi legendum esset diebus omnibus vitæ suæ. Sane labilitatem humanæ memoriarum, & instabilitatem virtuosæ voluntatis in homine, satis noverat Deus ipse qui condidit, qui & finget quotidie corda hominum singillatim.

Quamobrem quasi omnium malorum Antidotum voluit esse Librum, cuius lectionem & usum tanquam saluberrimum Spiritus S. alimentum quotidianum, iugiter esse iussit; quo refocillatus intellectus, nec enervis nec dubius trepidaret vlatenus in agendis. Illud *Iohannes Sarisburiensis* eleganter pertractat in suo *Polycraticon lib. 4.* Cæterum omne genus hominum qui Tonsura, vel nomine Clericali præfulgent, contra quos libri 4. 5. & 6. capitulis querebantur, libris tenentur veneratione perpetua famulari.

### QUOT COMMODA CONFERT amor librorum.

#### CAP. 15.

**H**V manum transcendit ingenium (quodcunque fuerit de fonte Pægaseo potatum) instantis capituli titulum explicare perfecte. Si linguis Angelorum & hominum quis loquatur, si in Mercurium transformetur aut Tullium, si dulcescat *Titi Livij* eloquentia lactea, si Demosthenis suavitate peroret: aut *Moysis Balbutiem* allegabit; aut cum *Hieremias* puerum nescientem fatebitur adhuc loqui; vel imitabitur resonantem in montibus altis *Echo*. Amorem namque librorum, amorem sapientiae constat esse, sicut 2. cap. est compertum: hic autem

autem amor *Philosophia* Græco vocabulo nuncupatur; cuius virtutem nulla creatura intelligentia compræhendit, quoniam vere creditur bonorum omnium mater esse *Sap.* 7. Aestus quippe carnalium vitiorum, quasi cælicus ros extinguit, dum motus intensus virtutum animalium, vires naturalium virtutū remittit, otio penitus effugato, quo sublato, *Periere Cupidinis arcus.*

Hinc *Plato* in *Phædone*; In hoc inquit manifestus est Philo-sophus si absoluit animam à corporis communione differenti-us aliis hominibus. Ama, inquit *Hieronymus*, Scientiam Scriptu-rarum, & carnis vitia non amabis. Demonstravit hoc *Zeno-crates* Dei-formis in constantia rationis, quem nobile scortum *Phryne* nomine, statuam definivit, non hominem; cum nullis eum illecebris valeret evirare (quemadmodum *Valerius lib. 4. cap. 3.* plene refert. Hoc ipsum noster *Origenes* ostendit, qui ne eum ab omnipotenti foemina effoeminari contingeret, v-triusque sexus medium, per abnegationem extremorum ele-git; animosum quippe remedium, nec naturæ consentane-um, nec virtuti, cuius est hominem non insensibilem facere passionum: sed subortas à fomite, rationis enecare mucro-ne.

Rursus, mundanas pecunias parvipendunt ex animo, quot-quot amor afficit librorum; dicente *Hieronymo* contra *Vigilantium epist. 54.* Non est eiusdem hominis aureos nummos, & Scripturas probare; vnde à quodam metrico sic dictum est:

*Nulla libris erit apta manus ferrugine tincta,  
Nec nummata queunt corda vacare libris.*

*Non est eiusdem nummos, librosq; probare,  
Persequitur libros Grex (Epicure) tuus.*

\* *Nummicola cum Libricolis nequeunt simul esse,  
Ambos, crede mihi, non tenet una domus.*

\* *nummipeta*

Nullus ergo potest Libris & mammonæ deservire, vitiorū deformitas in libris maxime reprobatur, vt inducatur omni-mode vitia detestari, qui libros dilexerit perscrutari. Dæmon qui à scientia nomen habet, per librorum scientiam potissimum triumphatur; cuius fraudes multipliciter flexuofæ, milleque perni-

pernitiosi Mæandri, per libros panduntur legentibus; ne se transfigurans in Angelum Lucis, dolis circumveniat innocentes.

Divina nobis per libros Reverentia revelatur, virtutes quibus colitur propalantur expressius, atque merces describitur, quæque nec fallit, nec fallitur, veritas pollicetur. Imago similima futuræ beatitudinis, est Sacrarum contemplatio literarū; in quibus nunc Creator, nunc Creatura conspicitur, ac de torrente perpetuæ iucunditatis hauritur. Fides fundatur potentia literarū, spes librorum solatio confirmatur, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Charitas non inflatur, sed ædificat per veram notitiam literarum: imo super libros Sacros, constat luce clarius, Ecclesiam stabilitam.

Delectant libri prosperitate feliciter arridente, consolantur individue nubila fortuna torrente, pactis humanis robur attribuunt, nec feruntur graues sententiæ sine libris. Artes & Scientiæ in libris consistunt, quarum emolumenta nulla mens sufficeret enarrare. Quanta pendenda est mira librorum potentia, dum per eos fines tam orbis, quam temporis terminum, & ea quæ non sunt, sicut ea quæ sunt, quasi in quodam eternitatis speculo, contemplamur. Montes scandimus, Abyssorum voragini perscrutamur, species piscium, quos communis aer ne quaquam similiter continet, intuemur.

Codicibus, fluviorum & fontium, & diversarum terrarum proprietates distinguimus. Metallorum atque gemmarum genera, & mineræ cuiusque materias de libris effodimus, herbarumque vites, arborum, & Planetarum addiscimus, prolemq; totam pro libito cernimus *Neptuni*, *Cereris*, & *Plutonis*. Quia si nos cælicolas visitare delectet, suppeditantes *Taurum*, *Caucasum*, & *Olympum*, *Iauonis* regna transcendimus, ac septena territoria Planetarum funiculis & circulis emetimur: Ipsum tandem firmamentum supremum, Signis, Gradibus, & Imaginibus, varietate maxima decoratum lustramus: ibi polum Antarcticum, (quem nec oculus vidit, nec auris audivit) inspicimus, luminosum iter Galaxiæ, & animalibus cælestibus picturatum Zodiaccum, delectabili iucunditate miramur.

mur. Hinc per libros ad separatas transimus substantias, ut cognatas Intelligentias Intellectus salutet. Primamq; causam omnium ac motorem, immobilem, infinitę virtutis, oculo mētis cernat, & amore inhāreat, sine fine.

Ecce per libros adiuti Beatitudinis nostræ mercedem attingimus, dum adhuc existimus viatores. Quid plura? procul-dubio, sicut *Seneca* docente didicimus, otium sine Literis mors est, & vivi hominis sepultura: Ita revera à sensu contrario, literarum seu librorum negotium, concludimus hominis esse vitam.

Rursus, per libros, tam amicis quam hostibus intimamus, quæ nequaquam secure nunciis commendamus. Quoniam libro plerumq; ad Principum thalamos ingressus conceditur, quo repelleretur penitus vox Auctoris (sicut *Tertullianus* in primo *Apologeticis* sui dicit) Carceribus & vinculis custoditi, ademptaque penitus corporis libertate, librorum legationibus utimur ad amicos, eisque causas nostras expediendas cōmittimus, atque illuc transmittimus, quo nobis fieret causa mortis accessus. Per libros præteriorum reminiscimur, de futuri quodammodo prophetamus, præsentiaq; quæ labuntur & fluunt, scripturæ memoria stabilimus.

Felix studiositas, & studiosa felicitas præpotentis *Eunuchi*, de quo *Act. 8.* narratur, quoniam amor Propheticæ lectionis, succenderat tam ardenter, quod nec ratione itineris à legendō cessaret. Reginæ *Candacis* regiam populosam oblivioni tradiderat, *Gazalq;* quibus præcerat à cura cordis semoverat, & tam iter quam currum quo ferebatur neglexerat: solus amor libri totum sibi vendicarat domicilium castitatis, quo disponente, mox fidei ianuam meruit introire. O generosus amor librorum, qui Gehennæ filium, & alumnū Tartari, per gratiam baptismalem filium fecit regni. Cesset iani stilus impotens, infiniti negotii cōsummare tenorem, ne videatur aggredi temere, quod in principio fatebatur impossibile cuiquam esse.

QUAM SIT MERITORIVM LIBROS  
scribere, & veteres renovare.

## CAP. 16.

**S**icut necessarium est Reip. propugnaturis militibus arma  
providere Vulcania, & congestas Victualium copias pre-  
parare: sic Ecclesiæ militanti, contra Paganorum & Hæretico-  
rum insultus, operæ pretium constat esse, seniorum librorum  
multitudine communiri. Verū quia omne quod servit mor-  
talibus, per lapsum temporis mortalitatis dispendium pati-  
tur; necesse est, vetustate tabefacta volumina innovatis suc-  
cessoribus instaurari, ut perpetuitas que naturæ repugnat indi-  
vidui, concedatur privilegio Speciei. Hinc est quod signanter  
dicitur *Eccles. 12. Faciendo plures libros non est finis.* Sicut enim  
nec librorum corpora, ex contrariorum compositione com-  
mixta, sive compositionis continuum sentiunt detrimentum:  
sic per prudentiam Clericorum, reperiri debet remedium, per  
quod liber Sacer solvens Naturæ debitum, hæreditatum ob-  
tineat substitutum, & simile semen fratri mortuo suscitet. Ve-  
rificeturq; statim illud *Eccl. 30. Mortuus est pater illius & quasi*  
*non est mortuus; similem enim sibi relinquit post se.* Sunt ergo tran-  
scriptiones veterum, quasi quedam propagationes recentium  
Filiorū, ad quos Patrū devolvatur officiū, ne librorū municipiū  
minuatur. Sanè huiusmodi Transcriptores, Antiquarij nomi-  
nantur, quorū studia inter ea quæ complentur labore corpo-  
reō, plus sibi placere *Cassiodorus confitetur, de Institutione Div.*  
*Liter. ca. 30.* ita scribens: Felix inquit intentio, laudanda seduli-  
tas, manu hominibus prædicare, linguas digitis aperire, salutē  
mortalibus tactu dare, & contra Diaboli surreptiones illicitas,  
calamo atramentoq; pugnare. Hæc ille, Scriptoris officium  
*Salvator* exercuit, dum inclinans se deorsum, digito scribebat  
in terra *Io. 8. vt nullus, quātūcumq; nobilis, indignetur hoc fa-*  
*cere, quod Sapientiam Dei Patris intuetur fecisse,*

O Scripturæ serenitas singularis, ad cuius fabricam inclinatur Artifex orbis terræ, in cuius tremendo nomine flebitur omne genu! O venerandum artificium, singulare præ cunctis praxibus, quæ hominis manu fiunt, cui pectus Dominicū incurvatur humiliter, cui Dei digitus applicatur, calami vice functus. Seuisse Dei filium, vel arasse, vel texuisse, vel fodisse non legimus, nec quicquam aliud de Mechanicis divinā decebat Sapientiam humanatam, nisi scribendo litteras exarare; vt discat quilibet generosus aut sciolus, quod hominibus digiti tribuuntur divinitus, ad scribendi negotium, potius quam ad bellum. Vnde librorum sententiam plurimum approbamus, qua Clericum inertem scripturæ, censuerunt quodammodo fore mancum. ca. 6. Supra.

Scribit iustos in lib. viventium Deus ipse, lapides tabulas digito Dei scriptas Moyses accepit; scribat librum ipse qui iudicat, Iob proclamat; digitos scribentes in pariete, Mane tecel Phares; Nabuchodonosor tremens vidit, Dan. 5. Ego (inquit Ieremias) scribem in volumine atramento: Ier. 30. Quod vides scribe in lib. Christus Iohanni præcipit charo suo Apoc. 1. Sic Iсаіа, sic Іоsua, officium scriptorum iniungitur, vt tam actus, quam peritia, futuris in posterum commendetur. In vestimento & in femore habet scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Christus ipse, vt sine Scriptura nequeat apparere, perfectum Omnipotenti regium ornamentum.

Defuncti docere non desinunt, qui sacræ scientiæ libros scribunt: plus Paulus scribendo Epistolas sacras, Ecclesiæ profuit fabricando, quam Gentibus & Iudeis evangelizando sermone. Nempe per libros quotidie continuat comprehensor, quod olim in terris positus inchoavit viator: sicq; verificatur de Doctribus, libros scribentibus, sermo Propheticus, 12. Dan. Qui ad institutam erudiant iustos, quasi stella in perpetuas aeternitates. Porro pulchritudinem antiquorum (pruisquam Deus originalem mundum Cataclysmo dilueret) ascribendam miraculo, non Naturæ, Catholici decrevere Doctores: vt Deus ipse tantum vitæ concederet, quantum reperiendis & in libris scribendis Scientiis conveniret. Inter quas Astronomiæ miranda diversitas, vt experimento

visui subderetur, sexcentorum annorum periodum secundum *Iosephum* requirebat: vcruntamen non abnuit quin terræ nascentia illius temporis primitivi, vtilius alimentum prestar et mortalibus, quam moderni, quo dabatur non solum hilarior corporis ev. *Ezra*: sed & diuturnior florens ætas, ad quam non modicum contulit, quod virtuti vivebant, omnimode resecato superfluo voluptatis.

Igitur quisquis Dei numere scientia est dotatus, iuxta consilium Spiritus Sancti Eccl. 38. *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis* ut & præmium cum beatis, & spatium in præsenti augentur ætatis. Cæterum si ad mundi Principes divertamus sermonem, Imperatores egregios invenimus, non solum Artis scribendi peritia floruisse; sed & ipsius operi plurimum indulisse. *Iulus Casar* primus omnium & tempore & virtute, *Commentarios* reliquit tam *belli Gallici*, quam *Civilis*, à semetipso conscriptos. Idem de *Analogia* duos libros, & *Annotaciones* totidem, & *poema* quod inscribitur *Iter*: & opuscula alia infinita fecit.

Tam *Iulus* quam *Augustus* cautelas scribendi literam pro litera adinvenit, vt quæ scribebent occultarent. Nam *Iulus* 4. literam præposuit loco primæ, & sic deinceps Alphabetum expendit: *Augustus* vero secundam pro prima, & pro secunda tertiam; & ita deinceps usus fuit? hic in Mutinensi bello, in maxima mole rerum, quotidie & legisse & scripsisse traditur, ac etiam declamasse, *Tiberius* Lyricum carmen scripsit, & poemata quædam Græca. *Clavis* similiter tam Græci quam Latini sermonis peritus, varios libros fecit; sed præ hiis, & aliis, *Titus* in scribendi peritia floruit, qui cuiuscunque volebat literam imitabatur facilmente, vnde se profitebatur falsarium maximum (si libuisset) fieri potuisse. Hæc omnia *Suetonius* de vita 12. *Cesarum* annotavit.

**DE DEBITA HONESTATE CIRCA  
librorum custodiam adhibendam.****C A P. 17.**

**N**On solum Deo præstamus obsequium , novorum librorum præparando volumina : sed sacratæ pietatis exercemus officium, si eosdem nunc illese tractemus , nunc locis idoneis redditos, illibatae custodie commendemus; ut gaudent puritate dnm habentur in manibus , & quiescant securè dum in suis cubilibus reconduntur . Nimirum post vestes & vascula corpori dedicata Dominico , Sacri Libri merentur honestius à Clericis contrebæti ; quibus toties irrogatur iniuria , quoties eisdem apponitur manus foeda . Quamobrem exhortari studentes super negligentias variis reputamus expediens, quæ vitari faciliter semper possent , & mirabiliter libris nocent.

In primis quidem circa claudenda , & aperienda volumina , sit matuta modestia ; vt nec præcipiti festinatione solvantur, nec inspectione finita , sine clausura debita dimittantur . Longe namque diligentius librum , quam calceum convenit conservari . Est enim gens Scholarium perperam educata communiter , & (nisi maiorum regulis refrænetur ) infinitis infantis insolescit, aguntur petulâria, præsumptione tumescunt, de singulis iudicant tanquam certi , cum sint in omnibus inexperti .

Videbis fortassis iuvenem cervicosum , studio segniter residentem , & dum hyberno tempore hyems alget , natus irriguis frigore opprimente distillat , nec prius se dignatur emunctorio tergere , quam subiectum librum maleducerit turpi rore . Cui utinam loco codicis corium subderetur futoris .

Vnguem habet fimo sœtenti refertū , Gagatisimillimum , quo placentis materiæ signat locum ; paleas dispergitur innumeræ , quas diversis locis collocat evidenter , vt festuca re-

ducat, quod memoria non retentat. Hæ paleæ, quia nec venter libri digerit, nec quisquam eas extrahit: primo quidem librum à solita iunctura distendunt, & tādem negligenter oblivioni commissæ putrescent.

Fruetus & caseum super librum expansum non veretur comedere, atq; scyphū hinc inde dissolute transferre, & quia non habet eleemosynarium præparatum, in libris dūmittit reliquias fragmentorum.

Garrulitate continua Sociis oblatrare non desinit, & dum multitudinem rationum adducit, à sensu philosophico vacuarum, librum in gremio subexpansum, humectat aspergine salivarnm. Quid plura? statim duplicatis cubitis reclinatur in codicem, & per breue studium, soporem invitat prolixum, atque reparandis rugis limbos replicat foliorum, ad libri non modicum detrimentum.

Iam imber abiit & recessit, & flores apparuerunt in terra nostra, tunc Scholaris (quem describimus) librorum neglegtor, potius quam inspectoꝝ, violata, primula, atque rosa, nec non & quadrifoliis farciet librum suum: tunc manus aquosas & scatentes sudore, volvendis voluminibus applicabit, tunc pulverulentis vndiq; chirothecis in candidam membranam impinget, & Indice vetere pelle vestito, venabitur paginam lineatim; tunc ad culicis mordentis aculeum sacer liber abiicitur, qui tum vix clauditur infra mensem, sed sic pulveribus in troie etis tumescit, quod cludentis instantiæ non obedit.

Sunt autem specialiter coercendi à contrectatione librorū iuvenes impudentes, qui cum literarum figuræ effigiare didicerunt, mox pulcherrimorum voluminum (si copia concedatur) incipiunt fieri glossatores incongrui, & vbi largiore rem marginem circa textum perspexerint, monstrosis apparitant Alphabetis; vel aliquid frivolum (qualecunque quod Imaginationi occurrit) celerius in castigatus calamus protinus exarare præsumit. Ibi Latinista, ibi Sophista, ibi quilibet Scriba indoctus, aptitudinem pennæ probat, quod firmissimis codicibus quo ad usum & pretium creberrime vidimus obfuisse.

Sunt iterum fures quidam, libros enormiter detruncantes, qui pro epistolarum chartulis, schedulas laterales absindunt,

litera sola salva , vel finalia folia ( quæ ad libri custodiam dimittuntur) ad varios abusus assumunt, quod genus Sacrilegii sub interminatione Anathematis prohiberi deberet.

Convenit autem prorsus Scholarium honestati, ut quoties ad studium à Refectione redditur, præcedat omnino lotio, nec digitus sanguine delibutus, aut folia prius volvat, aut signacula libri solvat.

Puerulus lachrymosus, Capitalium literarum non admiretur imagines, ne fluida manu polluat Pergamenum. (Tangit enim illico quicquid vider.) Porro laici (qui liberum è converso respiciunt resūpne transversum , sicut serie naturali expansionum ) ornatum librorum communione sunt indigni. Hoc etiam Clericus disponat, ut oлens ab ollis lixa cinereus, librorum lilia non contingat illotus; sed qui ingreditur, sine macula pretiosis manibus ministrabit.

Confert autem plurimum tam libris , quam scholaribus, manuum honestarum munditia, ( si non essent scabies & putulæ.) Charakteres clericales librorum defectibus ( quoties advertuntur) est oxyus occurrentum ; quoniam nihil grandescit citius scissura; & fractura, quæ ad tempus negligitur, reparabitur postea cum ysura.

De librorum armariis mundissime fabricandis (vbi ab omni lesionē salvantur securi, *Moyses* mitissimus nos informat Deut. 31. *Tollite inquit librum istum, & ponite illum in latere Arca Fœderis Domini Dei nostri.* O locus idoneus, & Bibliothecæ conveniens, quæ de lignis Sethim imputribilibus facta fuit, auroque per totum interius & exterius circumiecta . Sed omnem in honestatis negligentiam circa libros tractandos suo *Salvator* exclusit exemplo ( sicut legitur *Luce.* 4. Cum enim Scripturam Propheticam de se scriptam, in libro traditam perlegisset, non prius librum Ministro restituit , quam eundem suis sacratissimis manibus plicuisse; quo facto studentes docentur clarissime, circa librorum custodiam, quantumcunque minima, negligi non debere.

Q U O D

## QUOD TANTAM LIBRORVM

copiam collegimus, ad consummum profec-

tum Scholarium, &amp; non so-

lum ad propriam vo-

luntatem.

## CAP. 18.

**N**ihil iniquius in humanis perpenditur quam quod ea quæ geruntur iustissime, Malignorum obloquiis pervertatur & inde quis reperiat infamiam criminis, vnde magis meruit spem honoris. Oculo simplici perpetrantur quam plurima, nec sinistra dextræ se commiscet. Nullo fermento massa corruptitur, nec uestis ex lino lanaque contexitur: perversorum tamen præstigiis, opus pium mendaciter transformatur in monstrum. Hæc est nitirum peccatticis naturæ reprobanda conditio, quod non solum in factis moraliter dubiis, pro peiore parte sentenciat; imo frequenter illa quæ speciem bñi habent, nequiosfa subversione deprivat.

Quamvis enim amor librorum in Clerico, ex obiectinatura præferat honestatem; miro tamen modo obnoxios nos efficit iudiciis plurimoruin, quorum admirationibus obtrectati; nunc de curiosa superfluitate, nunc de cupiditate in illa duntaxat materia, nunc de vanitatis apparentia, nunc de voluptatis intemperantia circa literas notabamur; quorum revera vituperiis non plusquam canicularum latribus mouebamur, illius solius testimonio contentati, ad quem renes & corda pertinet perscrutari. Cum enim voluntatis secretæ finalis intentio homines lateat, vnicoque Deo pateat cordium Inspector, perniciose temeritatis meritentur redargui, qui humanis actibus ( quorum fontale non vident principium ) Epigramnia tam faciliter superscribunt sinistrum. Finis enim in operabilibus se habet, sic ut

cut principia in Speculatiis, vel Suppositiones in Mathematicis teste Philosophorum Principe 7. Eth.

Quapropter sicut ex principiorum evidētia conclusionis veritas declaratur : ita plerūq; in Agibilbus, ex honesti finis intentione, bonitas moralis in opere sigillatur ; vbi alias opus ipsum iudicari deberet indifferens, quoad mores, Nos autem ab olim, in Præcordiis mentis nostræ propositum gessimus radicatum, quatenus opportunis temporibus expectatis, divinitus Aulam quandam in Reverenda Vniversitate Oxon: omniū Liberalium Artium nutrice præcipua , in perpetuam eleemosynam fundaremus, necessariisq; redditibus ditaremus, quā numerosis Scholaribus occupatam, nostrorum librorum iocabilibus ditaremus, vt ipsi libri, & singuli eorundem, communes fierent (quantum ad vsum & studium) Scholaribus Aula ta-ctę, & per eos omnibus Vniversitatis prædictę studentibus in æternū, secundū formā & modū quē sequens ca, declarabit.

Quapropter sincerus amor studii, zelusq; orthodoxę fidei, ad ædificationem Ecclesiæ confirmandam, peperunt in nobis sollicitudinem hanc stupendam nummicolis, vt collectos codices vnde cunq; venales, neglectis sumptibus, emieremus, & qui venundari non debeant, transscribi honestius faceremus. Cum enim delectationes hominum, ex dispositione cœlestiū corporum (cui mixtorum complexio frequenter obedit ) diversimode distinguantur; vt hui in Architectura , illi in Agricultura, hui in venationibus, illi in Navigationibus, Hui in bellis, illi in ludis eligant conversari.: Cecidit circa libros nostræ mercurialis species voluptatis honestę, quam ex rectę Ratio- nis arbitrio (cuius nulla Sydera dominatur Imperio) in hono- rem ordinavimus Maiestatis Supremæ , vt vnde mens nostra tranquillitatem reperit requiei, inde devotissimus cresceret cultus Dei. Quāobrē desinat obtrectatores, sicut cęci, de colo- ribus iudicare, vespertiliones de luminibus disceptare nō au- deant; atq; trabes gestates in oculis propriis, alienas festucas eruere non præsumat. Cessent cōmentis Satyricorū sugillare quæ nesciunt, & occulta discutere quæ humanis experientiis nō patescunt, qui nos fortassis affectu cōmēdassent benevolo, si ferarū venati, alearū lusui, & dominarū applausui vacasse- mus.

**DE MODO COMMVNICANDI STV-**  
**dentibus (omnes) libros nostros.**

## CAP. 19.

**D**ifficile semper fuit, sic homines limitare legibus honestatis, quin astutia Successorum terminos niteretur praecedentium transilire, & statutas infringere regulas, insolentia libertatis. Quamobrem de prudentium consilio, certum modum praefiximus, per quem, ad utilitatem studentium librorum nostrorum communicationem & usum voluimus devenire. In primis enim libros omnes & singulos (de quibus Catalogum fecimus specialem) concedimus & donamus intuitu charitatis, communitati Scholarium in Aula nostra Oxon: degentium, in perpetuam eleemosynam; pro anima nostra, & parentum nostrorum, nec non pro animabus Illustrissimi Regis Angliae Edwardi 3: post Conquestum, ac devotissimæ Dominæ Philippæ Reginæ consortis eiusdem: ut iudicem libri, omnibus & singulis Universitatis dictæ Villæ Scholaribus, & magistris, tam Regularibus quam Secularibus commodentur pro tempore, ad profectum & usum studentium iuxta modum quem immediate subiungimus qui est talis.

Quinque de Scholaribus in Aula præfata commorantibus, assignentur per eiusdem Aulæ Magistrum, quibus omnium librorum custodia deparetur; de quibus quinque tres, & nullatenus pauciores, librum vel libros ad inspectionem & usum duntaxat Studii valeant commodare; ad copiandum vero vel transcribendum, nullum librum volumus extra septa Domus concedi. Igitur cum Scholaris quicunque Secularis, vel Religiosus (quos in præsenti fauore ad paria iudicamus) librum aliquem commodandum petierit; considerent diligenter Custodes, an librum talem habuerint duplicatum, & si sic, commoden eum librum Cautione recepta, quæ librum tradi.

traditum in valore transcendet, iudicio eorundem ; fiatque statim tam de Cautione , quam de libro commodato inmemorialis scriptura, continens nomina personarum qui librum tradunt , & illius qui recipit , cum die & Anno Domini, quo contingit fieri commodatum . Si vero Custodes invenerint, quod ille liber qui petitur, duplicatus non fuerit , nullatenus talem librum commodent cuiuscunque nisi fuerit de Comitiva Scholarium dictæ Aulæ, (nisi forte ad inspectionem ad infra septa Domus vel Aulæ prædictæ) sed non ad ulterius deferrendum. Scholarium vero cuilibet dictæ Aulæ, liber quicunque per aliquem de prædictis Custodibus valeat commodari; nomine tamen suo , cum die quo librum recipit primitus annotato : nec tamen ipse possit librum sibi traditum alteri commodare , (nisi de assensu trium de Custodibus supradictis) & tunc deleto nomine prirni, nomen secundi, cum tempore traditionis scribatur.

Ad hæc omnia observanda, Custodes singuli fidem præstent , quando eis huiusmodi custodia deputatur ; recipientes autem librum, vel libros, ibidem iurabunt , quod eum, vel eos, ad alium usum (nisi ad inspectionem & studium) nullatenus applicabunt , quodque ipsum , vel ipsos, extra villam Oxon : cum suburbio, non deferent , nec deferri permittent. Singulis autem annis, computum reddent prædicti Custodes Magistro domus, & ducibus quos secum duxit de suis Scholaribus assumendos, vel si eidem non vacaverit, tres deputet Inspectores alios à Custodibus, qui librorum Catalogum perlegentes , videant quod omnes habeant , vel in voluminibus propriis , vel saltem per Cautiones præsentes . Ad hunc autem Computum persolvendum , tempus credimus opportunius, à Calendis Iunii , usque ad festum Translationis glorioli martyris S. Thoma . Hoc autem omnino adiicimus , quod quilibet cui liber aliquis fuerit cōmodatus, semel in anno librum præsentet Custodibus , & suam (si voluerit) videat Cautionem . Porro si contingat fortuito per mortem , fursum , fraudem , vel incuriam, librum perditum esse ; ille qui perdidit , vel eiusdem procurator, seu etiam executor , preciū libri solvat , & eiusdem recipiat Cautionem . Quod si qualiter-

cunq; Custodibus ipsis lucrum eveniat, nihil aliud quam in librorum reparationem & subsidium convertatur. Hic multas librorum conditiones circa librorum custodiam pr̄termitto, eo quod mihi pro pr̄senti videatur inutile talia recitare.

**EXHORTATIO SCHOLARIUM AD RE-**  
**pendendum pro nobis suffragia debita pietatis.**

CAP. 20.

**T**Empus iam efflagitat, terminare tractatum quem de librorum amore compagimus; in quo contemporaneorum nostrorum admirationibus, de eo quod tantum libros dileximus, rationem reddere nisi sumus. Verum quia vix dicitur aliquid operari mortalibus, quod nullius res pergitur pulvere vanitatis, Studiosum Amorem, quem iam diuturnum ad libros habuimus, iustificare penitus non audemus, quin fuerit forsitan nobis interdum occasio alicuius negligentiae venialis, quamvis Amoris materia sit honesta, & intentio regulata. Si namq; cum omnia fecerimus, servos inutiles nos dicere teneamus: Si Iob sanctissimus, sua opera omnia verebatur: si iuxta Isaiam, quasi pannus menstruatæ omnes iustitiae nostræ, quis se de perfectione cuiuscunque virtutis præsumet iactare? quin ex aliqua circumstantia valeat reprehendi, quæ forsitan à se metipso non poterit comprehendere. Bonum enim ex integris causis, malum autem omnifarre (sicut Dionysius de divinis Nominibus nos informat.)

Quamobrem in nostrarum iniquitatum remedium, (quibus nos omnium Creatorem crebrius offendisse cognoscimus) orationum suffragia petituri, studentes nostros futuros dignum duximus exhortari, quatenus sic, tam nobis, quam aliis eorundem futuris Benefactoribus fiant grati, quod beneficiorum nostrorum providentiam spiritualibus retributionibus recompenset, vivamus in eorum memoriis funerati, qui in nostris vixerunt benevolentius nondum nati, nostrisq; nūc beneficiis vivunt sustentati, Clementiā Redēptoris implorent

in-

instantiis indefessis, quatenus negligentiis nostris parcat, pectorum nostrorum reatibus pius Index indulget, lapsum nostri fragilitatem pallio pietatis operiat, & offensas, quas & pudet, & pœnitentem comisile, divina benignitate remittat, conservet in nobis, ad sufficiens spatum pœnitendi, suarum numera gratiarum, fidei firmitatem, Spei suavitatem, & ad omnes homines latissimam Charitatem. Fleat superbum arbitrium ad culparum suarum lamentum, ut deploret transactas elationes vanissimas, & retractet indignationes amarissimas, ac delectationes insuavissimas detestetur. Urget sua virtus in nobis, cum nostra defecerit, & qui nostrum ingressum Sacramento Baptismatis consecravit gratuito, nostrum progressum ad statum Apostolicum sublimavit immerito, nostrum dignetur egressum Sacramentis idoneis communire. Laxetur à nostro Spíitu amor carnis, evanescat penitus metus mortis, desideret dissolvi, & esse cum Christo, & in terris solo corpore constituti, cogitatione & aviditate in æterna patria conversemur.

Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, filio Prodigo de siliquis revertenti, benignus occurrat, drachinam denuo repertam recipiat, & in thelauros æternos per Angelos Sanctos transmittat. Castiget vultu terrifico, exitus nostri hora, spiritus tenebrarum, ne latens in limine portarum mortis *Leviahan*, *Serpens verus*, insidias improvisas calcaneo nostro paret. Cum vero ad tremendum Tribunal fuerimus. advocati, ut cuncta quæ in corpore gessimus, attestante Conscientia, referamus, consideret Humanitas iuncta Deo, sui Sanguinis effusi pretium, & advertat Divinitas humanata carnalis naturæ figmentum, ut ibi transeat fragilitas impunita, ubi clemens pietas cernitur infinita, & ibi respiret spiritus miseri, ubi proprium extat Iudicis misereri. Amplius refugium spei nostræ post Deum, Virginem, & Reginam Sacerdotum benedictam, nostri semper Studentes Salutationibus fatigant frequentare devotis, ut qui per nostra facinora replicata meruius Iudicem invenire turbatum, per ipsius suffragia semper grata mereamur eundem reperire placatum. Deprimat pia manus brachiū æquilibre, qua nostra tam parva quam pauca merita pensabuntur, ne (quod absit) præponderet gravitas

criminum, & damnados deiiciat in Abyssum. Clarissimum  
meritis Confessorem (*Cuthbertum* cuius gregem indigni pas-  
cendum suscepimus) omni cultu studeant venerari devote,  
rogantes assidue, vt suum, licet indignum Vicarium, precibus  
excusare dignetur, & quem Successorem admisit in terris,  
procuret effici confessorem in coelis. Puris denique, tam men-  
tis quam corporis precibus rogent Deum, vt spiritum ad  
imaginem Trinitatis creatum, post praesentis  
miseriae incolatum, ad suum reducat  
primordiale prototypum, ac e-  
iusdem concedat perpe-  
tuum fruibilis faciei  
conspectum.

Amen.





concedit omnesque etiam in ecclesiasticis libetatem ad prouincias  
quae regum reges etiam non possunt prohibere. Etiamque iustitia  
est quod non possit esse in ecclesiasticis libetatem ad prouincias  
autem, quia etiam non possunt prohibere. sed illa, quae reges  
possunt in ecclesiasticis libetatem ad prouincias, non possunt  
in ecclesiasticis libetatem ad prouincias. Tunc enim illa libetatem  
libetatem, quae reges possunt in ecclesiasticis libetatem ad prouincias.

Etiamque iustitia est quod

non possunt prohibere.








## APPENDIX DE MANU- SCRIPTIS OXONIENSIBVS.

EN tibi gustum in hoc Appendice (bene-  
vole lector) librorum in magno nostro  
Catalogo contentorum, & hoc tanquam pig-  
nus amoris & promissi arrhabonem habe:  
sed expecta Catalogum, cuius editionem (sta-  
tim post expeditionem meam ad Cantabrigi-  
enses, ut illuc habeam quicquid manuscripto-  
rum volo, & coniungam cum nostris) non  
amplius differemus, tu interim vale, & his la-  
borum nostrorum quasi primitijs, in Deo  
fruere.



*Appendix de manuscriptis*

*A*

- Abelardus P.  
Abohaly.  
Abbas de Forda Io.  
Abbatis de villa Io.  
Acron.  
Adelaidus.  
Ægidius Romanus.  
Æsopus.  
Agellius.  
Albertus.  
Alexander Aphrodisæus.  
Alcock Simon.  
Albinus.  
Aluernensis P.  
Aluernensis Guil.  
Alliacensis P.  
Alanus.  
Alexander de Ales.  
Altissiodorensis.  
Alingtonus.  
Alexander de Ancilla.  
Albumasar.  
Ambrosius.  
Ambrosius Ansbertus T.  
Ammonius.  
Amandus Jo.  
Antonius.  
Andreas Jo.  
Anselmus.
- Anglicus Tho.  
Anfulsus P.  
Aphthonius.  
Apuleius.  
Aquinæ.  
Aquila P.  
Aquitanicus Guil.  
Arnoldus de villa nova.  
Aristides.  
Armachanus.  
Arnoldus Bonavillacensis.  
Aretinus Leonardus.  
Aretinus Carolus.  
Aristoteles.  
Ariminensis Greg.  
Aricius Dominicus.  
Aricius Jo.  
Aspasius.  
Athanasius.  
Augustinus.  
August.de ancon.  
Averroes.  
Avicenna.  
Auriolensis P.  
Aylwardus Tho.  
Azo.

*B*

- Bartolus.  
Baldus.  
Basilius.

Barton

Barton Jo.  
 Baldwinus.  
 Bartholomæus.  
 Bentinus.  
 Beda.  
 Berengarius.  
 Bernardus.  
 Benevent. Ægid.  
 Bertrandus.  
 Bercaldus.  
 Bethemius.  
 Bessarion.  
 Blesensis P.  
 Blondius.  
 Boetius.  
 Boihic H.  
 Bocatius Jo.  
 Bonifac. de Gallu.  
 Boraston Simon.  
 Bonaventura.  
 Bradwardinus T.  
 Bruenus Emanu.  
 Bromyardus Jo.  
 Brito.  
 Bridlington Rob.  
 Bucchingham. T.  
 Burleus.  
 Buridanus.  
 Buckfield.  
 Butler.  
 Byardus.

C  
 Cæsar Julius.  
 Cancellarius.  
 Cantor P.  
 Candiacensis P.  
 Canonicus Jo.  
 Capgraue.  
 Cassianus Jo.  
 Caxon Jo.  
 Capuensis Tho.  
 Capella Martian.  
 Cernisenus Ant.  
 Chrysostomus.  
 Chefilden.  
 Chrysost. Dion.  
 Chabham.  
 Chilmarke.  
 Cicero.  
 Claymang. Nic.  
 Climacus Jo.  
 Clemens.  
 Constantinus.  
 Coysurellius Th.  
 Cowton.  
 Cornubiensis Jo.  
 Copho.  
 Crescentinus P.  
 Cyprianus.  
 Cyrillus.  
 Cyrus.

**D**

Damascenus Jo.

Damascus.

Damateux Jo.

Dedecus.

Demosthenes.

Dencourtus.

Deueroſe Jo.

Dionysius.

Diogenes Laert.

Diaconus Paulus.

Didneshall Jo.

Donatus.

Docking.

Doxapater.

Dombleton Jo.

Durandus Jo.

**E**

Egesippus.

Epiſtetus.

Ephrem.

Erualdus.

Eshendenus Jo.

Eustratius.

Eutropius.

Eusebius.

Euthymius.

Euclides.

**F**

Fan P.

Felton Jo.

Fernandus.

Firmicus Julius.

Fishacre.

Fontanus Godofridus.

Fridericus.

Freculphus.

Frontinus.

Frideswidensis Rob.

**G**

Gauricius.

Galenus.

Galfri. de Trano.

Gandavensis H.

Gaspar.

Galfridus.

Gerardus de solo.

Gervasius.

Gerson Jo.

Gennadius.

Gilbertus.

Gowerus.

Gorham.

Gregor. Magnus.

Groſtheadus Rob.

Gramma-

Grammaticus Jo.  
Guarinus.  
Guiliel. in abbre. Amal.  
Guido de ordine Prædic.  
Guido.

H

Haymo.  
Hampooke Ric.  
Harentalis P.  
Henton Simon.  
Hericus de Hassia  
Hieronymus.  
Hispanus P.  
Hibernicus Tho.  
Higden Rad.  
Hilton Walterus.  
Hisdinius Jo.  
Hilarius.  
Horbach Gui.  
Holcot.  
Horatius.  
Hüttingdonius H.  
Hugo de S. victo.  
Hippocrates.

I

Jacobus.  
Januensis Jo.  
Januensis Phil.

Jgnatius.  
Innocentius.  
Jo. Ioannes.  
Johannicius.  
Josephus.  
Jordanus.  
Ioannes de Scalisi.  
Iſaac.  
Iſidorus.  
Juo.  
Jul. Seuerianus.  
Justinianus.  
Juvenalis.

K

Kalthufen H.  
Kilwarbus.

L

Lactantius.  
Lapus Castellum.  
Lanfrancus.  
Latteburius.  
Lambertus.  
Largetinus.  
Laurentius.  
Leo.

Legain Jo.  
Livius.  
Lincolniensis. H.

*Appendix de manuscriptis*

Linwoodus.  
Lombardus P.  
Ludolphus.  
Lullius.  
Lyssonius Guil.  
Lyranus Nic.  
Lysias.

Nicodemus.  
Nicolaus.  
Nicetes.  
Nottinghamus.  
Nonnius Marc.  
Nyssenus Grego.

*M*

Mannetus Iannozius.  
Macrobius.  
Mayro Fr.  
Malmesburiensis Gu.  
Marbotus.  
Martinus Pænitentiarius.  
Manilius.  
Meldensis.  
Mela.  
Merlinus.  
Messala.  
Mediavillacensis Ric.  
Merlacus Daniel.  
Milverleus.  
Montagnana Barthol.  
Montanus Gu.  
Monaldus.

Occham.  
Odo.  
Orosius.  
Origenes.  
Otho.  
Ottobonus.  
Ovidius.

*P*

Paulus Jo.  
Paschasius.  
Palmerius Jo.  
Palmerus.  
Paterius.  
Palladius.  
Parisienensis Jo.  
Pandulphus.  
Pacinus ant.  
Perusinus P.  
Petrarcha.  
Pecchamus Jo.  
Pediasmus.

Philaretus

*N*

Nazianzenus.  
Necham Alex.

I

*Oxonienibus.*

Philaretus.  
 Philippus de Pergameno.  
 Philostratus.  
 Philo Judæus.  
 Phildwenus.  
 Plato.  
 Plotinus.  
 Plinius Caius.  
 Plutarchus.  
 Platea Jo.  
 Plautus.  
 Polentonus.  
 Porphyrius.  
 Porphyrio.  
 Pollux Julius.  
 Pōtius de S. Aēg.  
 Polycrates.  
 Polybius.  
 Porretanus Gilb.  
 Pophus Ric.  
 Pomerius Julian.  
 Poggius.  
 Pomponius Fest.  
 Prudentius.  
 Proclus.  
 Proba.  
 Priscianus.

**R**  
 Radulphus.  
 Rabanus.  
 Ravennensis P.  
 Repingtonus Ph.  
 Remigius.  
 Richardus.  
 Riga P.  
 Ringsted.  
 Ronfredus.  
 Rocheford.  
 Rufinus.  
**Rufus Sextus.**

**S**

Sareburiēsis Io.  
 Salustius.  
 Salinensis P.  
 Scotus.  
 Senensis Gerard.  
 Serapion.  
 Seneca.  
 Sharpe.  
 Simplicius.  
 Silius.  
 Sopater Rhetor.  
 Solinus.  
 Socrates.  
 Sozomon.

**Q**  
 Quintilianus.

**Strabus**

*Appendix de manuscriptis Oxoniensibus.*

- Strabus.  
Stobæus.  
Strabo.  
Statius.  
Stratford.  
Stephanus.  
Suetonius.  
Suidas.  
Sutton Tho.  
Symmachus.
- Varro.  
Vallensis Jo.  
Vegetius.  
Vercellensis Tho.  
Vguitio.  
Vineus P.  
Vitellio.  
Vida.  
Vicibiacēsis Tho.  
Virgilius.  
Vincentius.  
Viennensis Hugo.  
Viterbiensis Jac.  
Victor Hugo.

T

- Tacuinus.  
Tarentinus P.  
Tertullianus.  
Terentius.  
Theophilus.  
Theophylactus.  
Thucydides.  
Timæus Locrésis.  
Tornacēsis Simō.  
Toppingus.  
Trivettus.  
Triophilus.  
Tripolitanus Guil.  
Tudertinus Ant.

VV

- Wallis Tho.  
Waltham Rog.  
Warham.  
Walden Tho.  
Werda Gu.  
Willimleydus.  
Woodefordus.

A

- Valerius Maxim.  
Valla Laur.


**FINIS.**











THE FIRST BOOK BY AN ENGLISHMAN ON  
BOOK-COLLECTING.

32. BURY (Richard of, 1281-1345). PHILOBIBLON . . . sive,  
De Amore Librorum, et Institutione Bibliothecae, tractatus pul-  
cherrimus . . .

[Philobiblon, or A Delightful Essay on the Love of Books, and the Formation of a Library . . . To which is added an Appendix on the Manuscripts preserved at Oxford. The whole edited by T.J. (i.e., Thomas James), Fellow of New College, Oxford.]

FIRST EDITION PUBLISHED IN ENGLAND, *with the original blank leaf H4.*

Sm. 4to., *morocco*.

Oxford : Joseph Barnes, 1599

THE FIRST EDITION PRINTED IN ENGLAND OF THE FIRST BOOK BY AN ENGLISHMAN ON BOOK-COLLECTING. Richard of Bury is a name honoured by every lover of books. He was the son of Richard Angraville, and was born, as his name implies, at Bury St. Edmund's. He rose to considerable eminence, and was sent on several important diplomatic missions, in the course of one of which he made the acquaintance, and became the fast friend, of the poet Petrarch. After years of travel and other activities Richard retired to the seclusion of his library and wrote the book on which his fame rests. It is a faithful record of the life of this book collector of olden time. He tells us how he collected his vellum treasures—his "crackling tomes" so rich in illuminations and calligraphic art!—how he preserved them, and how he would have others read them. We learn from the prologue to this rare and charming little volume how true and genuine a bibliophile he was, for he tells us there that a vehement love of books had so powerfully seized all the faculties of his mind, that dismissing all other avocations he applied the ardour of his thoughts to the acquisition of books.

This edition also has another interest: the last six pages consist of a list of medieval MSS. available in Oxford. This is the earliest printed catalogue of Oxford manuscripts.

The book was edited by Dr. Thomas James some years before he became "Bodley's Librarian." By curious coincidence it is dedicated to Sir Thomas Bodley.

15  
16

